EILHARDI LUBINI

IN

Q. Horatij Flacci SATYRARVM LIBRVM SE-CVNDVM.

PARAPHRASIS SCHO-LIASTICA.

ROSTOCHII
Ex officina REVSNERIANA.
cIↄ Iↄ Ic.

QVA GENIVM, QVA INGENIVM
egregio Adolescenti

CASPARO STEDINGIO,

Magnifici & amplissimi viri
DN. GERHARDI STEDINGII
Illustriss. Holsatiæ Ducis Consiliarij, patroni
mei certissimi, filio carissimo,
S. D.
EILHARDVS LVBINVS.

EX quo tempore parenti tuo, viro eximio & optimo familiarius aliquanto innotescere cæpi, CASPARE adolescens politissime, non desij quovis tempore & loco rationes dispicere, quibus amoris ac benivolentiæ meæ si non erga ipsum saltem erga te, qui ex ipso specimen aliquod atque documentum edere, meque penitiùs aliquanto in magni illius viri patrocinium & favorem insinuare possem. Qua in re dum meditando occupor: Nihil equidem pro curtæ meæ supellectilis tenuitate patre dignum magnopere invenio; Te verò filio haud dubiè longè dignissima. Te quippe tanto loco, tantis parentibus progenito, tam eximio ingenio prædito, in hâc florentissimâ ætate constituto, inque hoc,

quod felici pede ingressus es, & feliciter decurris, optimarum artium & linguarum studio atque stadio sudanti, & ad illud, ut cum hoc nostro loquar, SAPERE & FARI contendenti, quis hasce delitias Horatianas, hasce amænissimas ingeniorum festivitates, quovis melle & nectare dulciores, quæ & linguam puro sermone, & pectus virtute & sapientiâ instruunt, non judicet esse longè dignissimas? Cum enim juxta hunc nostrum,

Et prodesse velint & delectare Poëtæ;

Et juxta eumdem:

Omne ferat punctum qui miscuit utile dulci.

Non video inter Græcos vel Latinos, qui cum hic noster dubiâ palmâ concertare non possit. Quem enim non delectet carminum Horatij varietas, artificium, cultus, eloquentiæ lepor, & erudita fabularum, historiarumque notitia; Cui autem non prosit illa pars humanæ sapientiæ, quam passim tractat exactissimè de vitâ & moribus ex mediâ Philosophiâ petita? Sed frustra ego sum, qui illum tibi auctorem magno verborum ambitu commendem, quem & utilissimum & jucundissimum, ut tua sponte tibi habebis commendatissimum, sic hosce etiam meos in hunc tibi inscriptos labores, quique te compendio in ejus cognitionem deducent, æqui bonique, spero, consules. Diu & feliciter Vale, tuique patris viri magni & prudentis vestigijs, quod facis, fideliter, insiste ijsdem ad eandem ad quam ille, meam haud dubiè perventurus. Quod & ut facias, tibi es animo exopto, utque tibi faciendum proponas per tuorum spem, & quicquid tibi carum est, te admoneo. Rostochij: Anno 1599.

EILHARDI LUBINI IN Q. HORATII FLACCI SATURARUM LIBRUM II. PARAPHRASES SCHOLIASTICÆ.

SATYRA I, AD A. TREBATIUM ICTUM.

Interlocutores Horatius, & Aullus Trebatius.

V*Aria variorum hominum sunt judicia, variæ sententiæ & opiniones de carminibus meis A.* Trebati. Sunt *enim quidam*, quibus in Satyris *meis* nimis acer *& asper*, *nimis vehemens & sævus* esse, *& meum Satyricum* opus ultra *modum in notandis vitijs usitatum*, *ultraq;* leges intendere, *& exacerbare.* Altera *hominum* pars, *illud omne Satyræ*, quidquid composui putat esse sine nervis, *nimis laxum languidum, & remissum, adeoq; omnino elumbe, & enerve*: meorumque versuum *tam facilium & elumbium* similes *unico* die *vel* mille diduci, *&* componi posse. *Quare tu*, *ô nobilißime* ICte Trebati, *age tuum consilium mihi imperti, mihiq;, cum tam diversa hominum judicia de me experiar*, præscribe, quid*nam* faciam, *aut agere debeam.* TR. Quiescas *& otium agas, ô Horati.* HOR. *Anne illud* inquis, *ô Trebati*, ne omnino versus faciam? *Treb. Hoc ipsum est, quod* ajo. H. Malè *ego* peream, *ô Trebati*, si *consilium tuum non salutare*, *& illud* non optimum erat, *ut omnino quiescerem, & Satyras scribere intermitterem.* Verum *ego* dormire *non possum & quiescere, & vigiliarum tædium hisce ineptijs Satyricis cogor discutere.* TR. *Non ergo potes dormire? Anne ita ignoras, à labore, & largiore cibo & potu somnum esse facillimum, esse dulcißi-*

enum. Sanè quibus alto somno opus est, *& qui facile dormire non possunt, illi* Tibrim *fluvium oleo* inuncti *quotidie* ter transnatent, *&* sub noctem corpus *suum* largiore *vini potu madidum &* irriguum habeant. Aut si tantus amor, *tantus ardor tantumq́ desiderium aliquid* scribendi te *præcipitem trahit, & quasi* abripit, *humilibus & mordacibus illis Satyris quibus aliorum voluntates offendis, tibiq́ odia & pericula concitas relictis aliquid majus* aude, *& optimi illius, & maximi* invictiq́ *orbis Monarchæ Augusti* Cæsaris res *præclarißimè gestas Epico aliquo carmine* dicere *tenta & aggredere, Profecto* laborum *tuorum* multa *& eximia* præmia *à Cæsare munificentißimo consecuturus &* relaturus. H. Optime pater Trebati, *dum meas vires artusq́ libro, longè me illis imparem deprehendo. Nam* cupidum *quidem me, & summopere volentem hisce arduis & sublimibus materijs manus admoliri* vires deficiunt *& destituunt.* Neque enim cujusvis *est gravißima Romanorum bella condigno carmine exprimere, nec quivis* describet *ingentes militum copias &* agmina *rotundis clypeis aut* peltis, *hastis, gladijs, alijsq́ armis* horrentia, *& aspectu formidabilia*, aut *victorias Augusti memorabiles; &* Parthi *ex* equo delabentis *& superati mortem &* vulnera. *Sed illis tantum hoc concessum quibus clementior Musarum & Apollinis benignitas nascentibus adspiravit.* TR. *Atqui, ut vel maximè ejus res fortiter gestas, & bella non describas;* tamen *eximias ejus virtutes* poteras *commendare, eumq́* describere, *tanquam virum* fortem, justum *& magnanimum, ut ante te* Sapiens *ille Satyricus* Lucilius P. *Cornelium Scipionem Africanum carminibus suis illustravit.* H. Non *hic* deero mihi, *ô Trebati, & rei huic operam navabo, ubi oportunum fuerit, &* cum res *& occasio* ita feret. *Temporis enim oportunitas imprimis hic occupanda est. Nam mea Q. Horatij* Flacci verba *parum gratiæ habebunt, &* per attentam *& carminibus considerandis intentam* aurem Cæsaris nō transibunt, nisi dextro *& oportuno* tempore, *cum à rebus gravioribus bellicis, & civilibus vacat. Nempe qui vanis assentatorum blandimentis, & adulationibus non capitur. Non utiq́, si quis ineptis laudibus adsentando modum excedat. Nam velut generosus aliquis equus si imperitius à quopiam mitigetur calcem rejicit, &* recalcitrat: *sic ille ab omnibus partibus* undique *à vanis assentatoribus* tutus *& inaccesibilis, si male ipsi palperis, & adulando adblandiaris recalcitrat, rejicit, & repugnat.* T. *At* quanto, *ô Horati,* hoc rectius *esset agere, & quanto etiam tutius esset hujusmodi Cæsaris*

laudes

laudes decantare, quàm Pantalabum scurram, Nomentanum nepotem, *aliosq́; homines vitiosos* tristi, *mordaci*, *& Satyrico* versu lædere *& proscindere?* *Præsertim* cum *omnes homines Poëtas Satyricos* oderint, *& cum unus*quisque sibi, *& suæ famæ metuat ac* timeat, quandoquam *à Satyrico nondum* tactus, *nondum notatus aut reprehensus sit.* H. *At verò Trebati*, quid faciam ego, *aut quomodo hoc Satyras scribendi studium potero relinquere, quod mihi quodammodo ingenitum & naturale est? Certè unusquisq́; hominum suæ naturæ semina semper sectatur: nec facilè deserit.* Ita Milonius *ille civis Romanus pro more habet, ut* saltet, *ubi calor aut* fervor *è vino largiùs epoto ipsi in* caput *copiosis vini vaporibus* ictum, *& percussum ascendit*, & *ipsis* lucernis *in mensâ* numerus accessit, *ut quæ antea singulæ, jam binæ incipiant apparere, & tectum capitis rotatione & vertigine ambulare.* *Sic* Castor *Jovis & Ledæ filius* equestri, *& curuli certamine; alter frater* Pollux eodem *partu ex eodem* ovo, (*quod mater ex Iove in cycnum converso conceperat, & pepererat*) prognatus pugnis, *pugilatu*, *& cæstibus* delectatur. *Adeoq́;* millia *hominum*, quot capitum, totidem *etjam* studiorum vivunt, *& quot homines tot sententiæ*, *& singulis hominibus singula studia naturâ insita.* *Sic etjam me Horatium hoc tanquam naturale studium ducit*, meq́; juvat verba, *certis* pedibus, *numeris, & mensuris* claudere, *idq́; exemplo* Lucilij, *qui* melior *est*, *quàm* uterque nostrum, *& ego, & tu, ô Trebati.* *Quippe ille certissimum boni viri exemplar adeò exactam totius vitæ suæ rationem subducebat*, *ut quidquid vel benè vel malè egisset candidè & sincerè in scripta referret*, Ille *enim Lucilius omnia vitæ suæ* arcana *nemini præter sibi soli cognita* libris *suis* tanquam fidelibus *amicis* & sodalibus credebat *& inscribebat, idq́; non bona solum, sed mala etjam & vitia sua*: nunquam *aliò* decurrens, *quàm ad libros sive malè aliquid egisset*, sive bene, neque si male *aliquid* gesserat, aliò *decurrebat, sed illa eâdem fide, quâ bene sua facta, annotabat.* Quo fit *ut* tota vita senis *Lucilij* velut in tabulâ *ex* voto *suspensâ*, *integrè descripta & delineata in libris illis* pateat, *& conspici possit.* Hunc *Lucilium ego Horatius in studijs meis* sector. *Horatius*, *inquam*, *an* Lucanus, an *verò* Apulus *sim* anceps, *dubius*, *& incertus.* Nam Venusinus populus, *qui huc à Romanis in* coloniam *ductus fuit*, sub utrumque finem *Apuliæ & Lucaniæ habitat*, *agrosq́; ibi* arat *& colit.* *Qui Venusinus populus mihi conterraneus à Romanis* ad hoc *in Coloniam*

missus *fuit, postquam* (ut vetus fama *ac sermo* est) Sabini *ex hisce locis* pulsi *sunt*, *ne illi* per *hanc regionem tanquam à cultoribus* vacuam, *velut* hostes Romano *populo* incurrerent, *& novis bellis* & *seditionibus urbem Romam vexarent:* Sive *etjam* quod gens Apula & Lucania *tanquam bellicosa &* violenta *Romano populo* bellum incuteret *& moveret. Inter quos Venusinus populus medio loco interjectus hostiles illorum conatus impedire posset.* Sed *ut ad propositum & Satyras meas revertar:* hic stilus *& calamus scriptorius, quo Satyras scribo,* nullum *hominum vivum &* animantem *spontè &* ultro non *lacessitus* petet, sed me tanquam ensis vaginâ conditus custodiet. *Nimirum Satyris meis modestissimè utar, illisq; cellis inclusis, & paucis recitatis, veluti vir bonus ense utitur, non ut alijs vim inferat, sed ut illatam ab alijs propulset. Et* quem *gladium Satyrarum mearum dummodo* tutus *sim* ab infestis latronibus *à turpibus calumniatoribus me provocantibus, cur* velim distringere, *aut evaginare? cur Satyras velim depromere, aliosq; lædere, ipse læsus à nemine?* O pater & ô rex *DEorum & hominum* Iupiter! *utinam hoc meum Satyrarum* telum *in vaginâ* reconditum, *nunquam extrahatur, sed ibi* rubigine pereat! *utinam nunquam causa mihi detur hunc ensem destringendi & extrahendi, ne hanc Satyricam mordacitatem cogar in malos depromere,* neque quisquam mihi noceat, *qui* pacis *adeo* cupidus *sum, ut neq; lædi ab alio cupiam, neq; alium lædere.* At *verò* ille *quicunq;* est, qui me commoverit, *& ultro lacessiverit, ille probè à me remordebitur; qui me tetigerit(apertè* clamo *& edico* melius *esse me* non tangere *& lacessire)* Ille flebit *ac dolebit, suamq; miseriam deplorabit,* & *in* totâ urbe insignis, *nobilis, & famosus meis versibus* decantabitur. *Cum enim suis quisq; armis se tueatur, hæc mea arma sunt, quibus ego me munio, me ulciscor. Sic* Servius *prætor ille, capitalibus quæstionibus præfectus, cum* iratus *& irritatus est cõdemnationes ex* legibus, *& sententias ac sortionem judicum,* & urnam minitari *solet.* Canidia *illa venefica* Albutij *filia*, quibus inimica *& irata* est, *illis* venenum *minatur.* Thurius *ille judex venalis,* grande malum *interminatur,* si quis se judice certet *ac litiget, seq; muneribus prius non placet.* Sic *ergo* collige mecum *& diligenter expende, ô Trebati, num illud naturæ non adversetur, si quis se non tueatur, acceptamq; injuriam ulciscatur? Vides enim ut unusquisq; eo ipso* quo quisque valet *& potest* suspectos, *inimicos, & hostes* terreat *& puniat, & quomodo*

ipsa

ipsa natura *illud omnibus hominibus, ipsis etjam brutis* potenter imperet. *Sic* lupus dente, taurus cornu, *equus ungulá adversarium* petit, *& se tuetur.* Vnde *autem hoc habent*, nisi *illis* intus *à naturâ* monstratum *esset* ? *Homo autem non uno modo, sed multis se ulcisci & se tueri potest. Si quis enim dextrâ illatam injuriam vindicare nequeat, alijs rationibus se poterit ulcisci. Sic ipsi* Scævæ *juveni* nepoti *& prodigo* matrem *suam* vivacem, *quâ injuriâ afficitur*, crede *ac committe:* dextra *ejus* pia nihil sceleris faciet, *ipsam non interimet.* Nimirum ut lupus calce neminem petit, neque bos *a*liquem dente *mordet. Nam si Scæva ad matrem interimendam dextrâ nihil valet, veneno valebit, illamq;* anum *matrem suam decrepitam*, *cujus diuturnâ vitâ prodigus offenditur*, cicutâ melle vitiato *& corrupto*, *& venenatâ quâdam potione ipsam è medio* tollet. Nec longum faciam, *quicunq; & ubicunq; futurus sum Satyras scribam? &* sive tranquilla senectus me exspectet, sive mors *mihi imminet, suisq;* nigris alis *me* circumvolat, *ut ad senium non perveniam; sive* dives, *sive* inops, *sive* Romæ, *sive alicubi in exilio* (si fors ita jusserit) exul *futurus sum*, quicunque color, *quodcunq; genus, quæcunq; conditio & species meæ* vitæ *futura* est, *Satyras* scribam. T. O puer *Horati* metuo ut *diu vivas &* vitalis sis, *ne hisce Satyris tuis exitium & periculum tibi contrahas*, ne quis majorum & *potentiorum* amicus te *mortis* frigore feriat, *& satyris tuis offensus te è medio tollat.* H. quid? *mihine liceat quod alijs ante me licuit? Nimirum* cum *sciam quod* primus *omnium* Lucilius *ante me Satyras scribere, &* in hunc motem operis *Satyrici* carmina componere, *& omnia improborum crimina denudare, illisq;* pellem, *& turpitudinis velamentum* detrahere, qua *unusquisque malus* per *vulgi* ora *tanquam nitidus frugi & quantivis precij* incederet, *intus autem &* introrsum *in cute* turpis *immundus & sceleratus*, ausus fuit. Num *magnus ille* Lælius, aut P. *Cornelius Scipio*, qui ab oppressâ Carthagine, *& domitâ Africâ*, meritum nomen *Africani* duxit *& reportavit*, offensi *fuerunt*, ingenio *& scribendi genere* Lucili, aut *num* doluêrunt, *quod* Metellus *Macedonici filius infamis & luxuriosus à Lucilio* læsus, *aut quod* Lupus, *& Mutius* famosis versibus coopertus *& obrutus à Lucilio fuerit?* Atqui, *cur ille alicui parceret, qui* primores populi *Romani*, & universum populum *per omnes 35. tribus* arripuit *& invasit, nulli parcens.* Scilicet uni virtu-

ti, ejusque amicis, æquus *amicus & benevolus*, *reliquis omnibus formidolosus & infestus*. Quin *tantum abest ut illis offensi fuerint*, Scipio *ille* virtute *præditus*, *& fortißimus* & Lælius mitis *ac* sapiens, *ut cum à* foro *& judicijs ubi magistratus tanquam in* scenâ *personam agit*, *liberati erant*, *&* in secreta *loca & secessus se* removerant, cum ipso nugari, *ridicula & jocosa tractare*, & discincti ludere, *& ad omnem animi remißionem ludumq; descendere*, donec olus decoqueretur *& frugalis cæna appareretur*, soliti *fuerunt*. Quicquid *& quicunq;* ego Horatius sum, quamvis infra Lucili censum *opes*, *&* ingenium, tamen *vel ipsa etjam* invidia *licet nolens &* invita fatebitur *me cum Augusto Pollione, Varo, Mæcenate*, *alijsq; viris* magnis vixisse, *dumq; invidus* me *obtrectando & clanculum mordendo in crimen inducere*, & *in me tanquam rem* fragilem, *mollem & teneram livoris sui* dentem quærit illidere, *tunc in* solidum incurret *& impingit*, *dentemq; suum franget: nam vitæ meæ castitas*, *integritas & innocentia ipsi respondebit. Sic agam, & hæc mea sententia est*, nisi *forte tu*, *ô* doctißime Trebati aliter sentis. T. Equidem hinc *à tuo sermone* nihil possum *ego* diffindere, *nihil differre ac dissentire*. Sed tamen *illud* moneo ut caveas, *ne* sanctarum legum inscitia *& ignorantia te in fraudem ac damnum inducat*, tibiq; *aliquid molesti* negotij *& periculorum* incutiat. *Nam si* quis mala carmina in aliquem condiderit, *famososq; versus scripserit*, jus est, *&* judicium, *& lata lex*, *& actio in illum data*, *& pœna legibus constituta*. H. esto *ita*, *ô* Trebati, si quis mala *& famosa carmina* condiderit *illi pœnam constitutam esse*: sed si quis bona *carmina vitijs hominum castigandis in homines malos & nequam scripserit*, *ille vel Augusto* Cæsare judice laudatur. T. *Concedo ita esse*, *tuamq; sententiam approbo*. Si quis *hominem malum &* opprobrijs dignum *mordaci aliquo carmine* lacerarit *& prosciderit*, *modo* ipse integer *sit & innocens*, *tum* tabulæ *ac libelli contra te facti*, *ipsæq; leges* risu solventur, *supplicium tibi remittent*, tuque *in judicio absolveris*, *&* dimissus abibis.

SATYRA II.

QVæ est quanta virtus sit parvo vivere, *& frugalem vitam colere*, *discite & cognoscite mecum*, *ô* boni. *Non autem ego Ho-*

ego Horatius hæc loquar, neque sermo hic, *quem instituam*, meus est, sed quem præcepit Ofellus *quidam* rusticus, *vir* sapiens, *sed* abnormis, *extraq; regulam Philosophorum, non subtilis, aut doctrinâ excultus*, & crassâ Minervâ *tanquam à naturâ ad Philosophiam Stoicam informatus.* Discite, *inquam*, *hoc, sed* non *in opiparis convivijs & commissationibus*, inter lances, & mensas nitentes, *lautas & opulentas, cum mentis oculi* acies *propter* insanos *apparatus &* fulgores *delitiarum* stupet *quasi & obtunditur*, *cumq;* animus *luxu corruptus ad* falsa *pronus & inclinans* meliora *& veriora non admittit*, *sed* recusat: verum *sicci* impransi *& jejuni hoc meum discite &* inquirite. Cur *autem* hoc *desiderem ut jejuni* mecum *cognoscatis*, si potero dicam *& aperiam vobis: Velut* omnis judex, *si ab odio, irâ, alijsq; affectibus impeditus sit, non facilè* verum *pervidet*; *sic etjam animus, cibo & potu delitijsq;* corruptus *ebrius & satur, veritatem* malè *& non benè* examinat. *Initiò unicuiq; hominum promptum est epulas quasq; lautißimo condimento apparare, quod nimirum exercitium corporis & labor abundè ipsi præstabit. Age enim ubi venatione corpus tuum exercueris*, leporemque sectatus *es*, vel ab indomito equo defatigatus, vel si Romana militia *& exercitatio te* Græcis *ludis*, pilâ *ludere* assuetum *exercet &* fatigat, *cum inter ludendum interdum* austerus *& ingratus* labor, molliter studio *& diligentiâ vincendi* fallitur, *ut non sentiatur*: seu *deniq;* disci *ludus* te agitat, disco *lude, & disco in altum projecto* aëra cedentem pete: cum *ita variè te exercueris, &* labor nauseam *&* fastidia *ciborum tibi* excusserit, *& edendi appetitum conciliaverit, quando jam* siccus inanis *& jejunus es, age tunc nihil velis* bibere nisi mella *ex Atticæ monte* Hymetta *cum nobili* Falerno *vino* diluta. *Imò verò hujusmodi sumptuosas epulas non desiderabis, sed tenuißimo apparatu, & quolibet cibo apposito contentus eris. Nam ubi exercitatione nauseam ex facietate natam depuleris, & famem tibi irritaveris, &* promus, *qui vinum & dapes depromit, si ille domi non est*, & mare atrum *& procellosum tumultuatur ac* hiemat, *ita ut* pisces *capi non poßint, aliaq; maris delitiæ: tunc etjam aqua &* panis cum sale *jejunum* & latrantem stomachum bene leniet *& mitigabit.* Vnde *autem* putes *hoc provenit*, aut qui *aut quomodo tantum dulcedinis etjam in sale & pane* partum *est? Vides igitur, quod* non in *preciosis* condimentis *aut pretiosorum obsoniorum nidore* magna voluptas est, sed in te ipso, *qui etjam vilibus*

cibis

cibus summam voluptatem potest aßignare, Tu *tantum* sudando & *laborando epulas* & pulmentaria conquire. *Aliàs etjam preciosißima quæq; tibi sordebunt.* *Nam hominem ebrietate, cruditate, alijsq;* vitijs pinguem & *saginatum* album & *pallidum* nec ostrea, *illæ Veneris delitiæ,* nec scarus, aut Lagois *ex* peregrinis *locis allata preciosißimus piscis* juvare poterit. *At quicquid dicam,* vix tamen eripiam & *expugnabo,* quin *gallinâ* & pavone *simul in mensâ* posito, hoc potius *pavone* , quàm *illâ* gallinâ palatum *tuum edendo* tergere *velis.* *Quippe* vanitatibus rerum, & *vanis de rebus opinionibus* corruptus: quia *nimirum pavo tanquam* rara avis, auro *magno pretio* vendatur, & caudâ *suâ conchatâ, varijsq; oculis* pictâ *jucunda intuentibus* spectacula pandit & *explicat.* *Homo vanißime,* tanquam *avis pulchritudo* aliquid ad rem attineat, *carnemq; dulciorem reddat!* Num vesceris ista *pavonis* plumâ , quam *tantopere* laudas? & num cocto *pavoni* idem honor *pulchritudo* & *forma* adest, *quæ antea vivo adfuit?* Quamvis autem *gallinæ caro à pavonis* carne nihil distat, *nec in* hâc major *dulcedo, quàm in* illâ: patet & *perspicuum est,* te imparibus formis, *pavonis* & *gallinæ* deceptum *esse.* Esto *tamen pavonis carnem dulciorem esse gallinæ carne ,* & *quem oculorum judicio à gallinâ facilè potes discernere : atqui cum censes lupos pisceis prope Ostia captos dulciores esse, quàm in Tybri propè urbem,* unde datum *illud habes, ut* sentias *utrum* hic lupus *in* Tybri an *verò in* alto *mari* captus , *sit ne* jactatus inter pontes *Tybris in urbe Româ,* an *verò sub* Ostia inter amnes Thusci *fluvij Tybris? Certè sæpißime hic falleris.* Laudas *etjam, ô* insane, trilibrem *aliquem inusitatæ magnitudinis* mullum , quem *tamen* in singula pulmenta, *in singulas partes* & *frusta disseces* & imminuas necesse est. *Nempe mulli* species & *inusitata magnitudo, ut* video, *inducit* te & *invitat.* Quid ergo *hoc sibi vult,* & *quonam illud* pertinet, *quod* proceros lupos oderis, *inq; lupo magnitudinem damnas, quam in mullo laudas? Nimirum à raritate omnis illa existimatio* & *commendatio.* Quia scilicet natura illis *lupis* majorem modum & *magnitudinem* concesſit , his *autem nullis* breve *admodum* pondus, *quorum contraria tu commendas ,* & *quasi cum ipsâ naturâ pugnas.* Stomachus jejunus *hujusmodi* usitata , *quæ tu fastidis,* raro contemnit. At *contra* gula *non homine, sed* rapacibus Harpyijs & *voracibus gurgitibus* digna *immensa* & *inexplebilis,* & *cui major famis ,* quàm *venter*

capit:

est, ait: Ego mallem videre magnum & inusitatum Mullum in lance porrectum & extensum. At vero vos Austri precibus meis favete, vestrâq; præsentiâ gulosorum horum obsonia calido vestro flatu putrefacite & corrumpite. Quanquam quid opus est Austros invocare, ut illorum fericula coquant & corrumpant? Luxuriosis enim omnia fætent & aper rhombusque, quamquam recens captus ipsis putet, dum ob ægritudinem stomachi etiam lautissima queq; fastidiunt. Quando ægrum & fastidientem stomachum varietas & copia sollicitat, lædit ac aggravat: cum nimirum plenus delitijsq; affluens præ fastidio ad viliora se cogitur convertere, & rapula, olera, & inulas aceto conditas mavult, quàm lauta illa, quorum tædium jam ipsi obrepsit. Tenuis enim victus & paupertas à potentum regum epulis nondum omnis & universa abacta est. nam ovis vilibus vulgaribus, & nigris ac maturescentibus oleis, quibus tanquam frugalibus laborans venter corrigitur, hodie adhuc locus est; contra luxuria etjam ad tenuiorum & privatorum mensas penetravit. Nam haud ita pridem Publij Gallonii præconis mensa infamis erat, quod acipenserem piscem carissimum in cœnam adhibuisset. Qui autem factum est, ut etjam alias lautitias non adhibuerit? anne tum temporis æquor rhombos minus alebat, quàm jam? Imò verò tum temporis rhombus adhuc tutus erat, & ciconia in nido suo tuta adhuc erat, donec Asinius Sempronius Rufus auctor lè magistratu helluonum prætorius vos Romanos rhombi & ciconiæ delitias docuit. Atq; adeo juventus Romana adeo lubrica est & ad mala propensa, pravique docilis, ut si quis nunc heluonum prætor surgat, & ipsos mergos assos suaves esse edixerit, & prætoria voce confirmaverit, parebit continuò & sequetur. Interea autem dum frugalem vitam commendo, sordes non approbo. Sordidus enim victus nimiq; avidus à tenui mediocri ac frugali victu multùm distabit, Ofello sapiente rustico judicante. Nam illud prodigalitatis vitium frustra vitaveris, si te aliò ad aliud contrarium vitium tanquam pravum, & à recto devium detorteris, nimisq; inclinaveris. Turpissimum enim & hoc vitium. Avidienus (cui ex vero & merito canis cognomentum deductum adhæret) ille comedit quinque annorum oleas, nimiâ vetustate corruptas & corna lapidosa & silvestria, vinumq; ex dolijs non vult infundere & in usum depromere, nisi antea mutatum & corruptum in vappam degeneravit, & oleum vilissimum, quod ipse

C servis

servis suis diffidens, *ex* bilibri cornu *guttatim*, *& minutatim* parcè caulibus *& oleribus suis* instillat, *tale est*, ut ejus odorem *fœdum* perferre nequeas, *idq; facit*, licet repotia *diem* natalem alios que dierum festos & sacratos *candidis vestibus indutus* celebret. *Nimirum tunc in* aceto veteri *in emortuo & languido vino depromendo* non parcus, *sed satis liberalis est*. Quali igitur victu utetur *vir sapiens*, & utrum horum *duorum* imitabitur? *ab hâc enim parte ille Rutilius* Lupus *ille verago luxuriosus, ab alterâ parte Avidienus* canis *sordidus & avarus* urget *& nobis instat*. *Nimirum is* cultus *& victus* mundus erit *& frugalis*, *qui indecorâ parsimoniâ &* sordibus neminem offendit, & in neutram partem *nec nimis sumptuosè nec nimis sordidè* miser, *& infelix est*. Hic *modicè victitans*, neque *tanquam avarus* sævus *tenax & parcus* erat, exemplo Albutij *illius* senis dum munia *& officia, quid quisq; agere debeat, in* servos *suos* dividit, nec ut *prodigus ille alter* Nævius aquam *unguento* dilutam, *manibus & corpori abluendo* convivis *suis* præbebit. *Nam* hoc quoque *prodigalitatis* vitium *est & luxuriæ non ferendæ*. Accipe nunc *contra* quæ & quanta *commoda* tenuis *& frugalis* victus secum adferat: imprimis *hoc, quod* benè valeas. Nam ut variæ res, *& quomodo mala ciborum copia* hominis *sanitati* noceat, credas *& perspicias, ubi* illius essæ memor *recordaris*, quæ olim *infanti* tibi *lac maternum uniforme* & simplex sederit *& placuerit*. *Quo alimento puer rectissimè valuisti*. At *verò ubi cum* assis elixa, simul *cum* turdis conchylia *in ventriculo tuo* commiscueris, *illa, quæ rectè concoqui non poterunt* in bilem convertent, *potissimum autem* dulcia: *&* lenta *ac viscosa* pituita tumultum *dolorem* & *tormina* stomacho *tuo* adferet. Videsne *enim*, ut omnes *ægroti fiant &* pallescant *qui è* cœnâ *lautâ &* dubiâ, *ubi quid ob copiam sumas potissimum dubitas*, desurgat. Quin *etjam* corpus *illud quod* hesternis *vinis &* vitijs, *crapulâ & intemperantiâ graviter affectum &* onustum *est*, prægravat *etjam & affligit ipsum* animum, & divinæ auræ *mentis & rationis* particulam *gravi ictu & impetu* humo adfligit *& abijcit*, *ut suum munus præstare nequeat*. *Contra autem* alter *sobrius*, ubi *corporis sui* membra *brevi tempore & dicto* citiùs *non in multam noctem cœnam producens cibo & potu* curavit, *& somno ac* sopori dedit, *ille mane* vegetus *& validus*, ad præscripta *sua* munera *& officia* surgit *& revertitur*. *Quanquam autem*

hic

hic *ex sobrietate frugaliùs vivat*: tamen quondam ad melius poterit transcurrere, *ad lautiorem vitam transire, frontemq́; lautius & liberaliùs exporrigere*, sive rediens annus *aliquem* diem festum advexerit, sive corpus *suum extenuatum aliquanto largiùs meliori cibo & potu* voluerit recreare, & ubi anni *senilis ætatis*, & *senilis* ætas imbecilla, *quæ* molliùs tractari volet, accedent. Tibi *autem luxurioso* quidnam *voluptatis ulteriùs* accedere ad istam mollitiem, quam puer & validus *juvenis existens ante debitum tempus tibi* præsumis? *nempe tantæ sunt tuæ delitiæ quibus ulterius nihil addi posset, omnemq́; facultatē lautiùs vivendi tibi ademisti*, Sive dura valetudo *& corporis infirmitas*, sive senecta *pigra ac tarda* inciderit. *Longè aliter majores nostri antiqui, qui delitias in pretio habebant, sed non propter se, sed propter hospites, ut lautiùs illos tractarent.* Laudabant illi aprum *ex diuturnâ conservatione* rancidum, *non autem* quod nullus nasus ipsis esset, *aut quod carérent odoratu (longè enim illi sagaciores nobis)* sed credo *quod* hâc mente *illud fecerint*, quod hospes tardiùs *& seriùs & non maturè satis, dum adhuc aper integer esset* adveniens *cum recentem aprum edere non potuerit saltem ipsum* vitiatum *comederet, quodq́; illud in humanitatis signum longè* rectiùs *faceret*, quàm *si* dominus edax *aprum* integrum *& recentem adhuc* consumeret. O utinam prima tellus me inter hos Heroas *viros optimos & temperantes* natum produxisset! *At nimirum famam aucuparis lauto illo & splendido tuo victu. At heus tu, si* famæ tuæ aliquid das, *cur potius luxuriosè vivis ut ab imperitâ plebe. quàm frugaliter, ut à Poëtâ sapiente lauderis? Quænam enim fama hominum* auribus *jucundior &* gratior *esse potest, quàm frugalitatis & sobrietatis acroama, quod Poëta* carmine *celebrabit? Contra* grandes rhombi, *grandesque* patinæ *tantum abest, ut* honestam famam tibi pareant *ut* grande dedecus, *& grande* damnum una adferant, *& una rem & honestam tuam famam auferant. Iis* adde patruum, *aliosq́; tutores* iratos, *&* vicinos *omnes & te ipsum* adeo *tibi ipsi* inimicum & *infensum, teq́; ad summas angustias reductum jamq́;* mortis cupidum, *sed* frustra: cum as *restis vel* laquei pretium, *quo vitam tuam finias*, egenti *tibi* deerit. *At verò hic*, inquis; *Ille qui pauper est & nihilominus luxuriosus, ut* Thrasius, hisce verbis *tuis, o Horati, jure & meritò* objurgatur. Ego *enim* tanta vectigalia & *tā magnas* divitias habeo, *quæ* tribus regibus *satis* amplæ

 sunt.

ſunt. Ergoné verò nihil aliud eſt quo meliùs rectiùs & honeſtiùs illud poſsis inſumere quod ſuperat, & ſupra res neceſſarias adhuc reſtat? Cur aliquis vir optimus & indignus qui indigeat te divite eget & pauper eſt? Quare antiqua DEI templa ruunt, tuisq; ſumptibus non ædificantur? cur, ò improbe, ex tàm magno cumulo & acervo divitiarum tuarum patriæ tuæ inopi non aliquid emetiris? Itane verò cenſes te olim aliorum ope & auxilio non poſſe indigere? nimirum tibi uni & ſoli inter mortales res opesq; ſemper felices rectæ & fortunatæ erunt? O quàm magnus riſus, quàm multùm ridiculus inimicis tuis poſthac ubi adverſi quippiam tibi acciderit, futurus es! Vter igitur horum duorum ad caſus dubios & incertos certiùs ſibi fidet? uter in rebus adverſis confidentior & animoſior futurus eſt? hicne, qui animi ſui mentem, corpusque ſuum tumidum & ſuperbum pluribus & copioſis rebus aſſuefecerit, an verò ille, qui paucis contentus, & futuri caſus & calamitatis metuens, tanquam vir ſapiens in æſtate ſibi de hieme proſpexerit, in pace, quæ bello idonea adaptaverit, rebusq; ſecundis illa, quæ ad adverſas calamitates utilia ſunt, repoſuerit? Quo magis autem his meis verbis fidem habeas, hic, quem dixi, Ofellus omnia exemplo ſuo comprobavit. Etenim ego Horatius cum parvus adhuc puer eſſem novi Ofellum hunc cum integras adhuc opes haberet, ſuosq; agros poſſideret, in integris opibus ſuis, non lautiùs neq; latiùs uſum eſſe, quàm nunc cum ejus opes propter agri direptionem acciſæ & imminutæ ſunt. Nempe videre poſſes hunc Ofellum colonum virum fortem & magnanimum in alieno agro decempedis metato & definito cum pecore & gnatis ſuis agrum mercede conductum colentem, & talia verba narrantem: ego Ofellus luce profeſtâ non temerè quidquam edi, præter olus cum pede ſuillæ pernæ fumo induratæ. At verò cum hoſpes aliquis gratus poſt longum tempus ſive etiam vicinus meus tanquam conviva propter imbrem & pluviam vacuo & ab opere ruſtico ceſſanti mihi venerat: Tunc nobis benè erat, & lautè nos invitabamus non exquiſitis ferculis ex urbe Româ petitis, & rus allatis, ſed illis, quæ ruri mihi provenerant pullo gallinæ, atque hædo. Tunc uva ſuſpenſa & conſervata, cum duplici ficu recenti & aridâ & nux ſecundas menſas nobis ornabat, & tragematum loco ſufficiebat. Poſt hoc quando edendo nos expleviſſemus inter nos jocabamur, ludusq; nobis erat potare, ſed non ſine culpâ. Nempe quæ culpa in-

pa in-

pa inter inter potandum tanquam magistra nobis dominabatur, ut si qui contra leges peccasset poculo mulctaretur. At *verò* Ceres venerata *&* *precibus rogata, ut* alto cumo surgeret, *segetemq; in altitudinem produceret* frontis *in rugas* contractæ *&* *mæstæ* seria *severa ac tristia* explicuit, *omnemq; tristitiam ex animis expulit & excussit, liberaliore* vini *potu. Interea ita vitæ meæ rationes institui ut nullis rebus sive adversis sive secundis perturber. Vt enim vel maximè* fortuna *in nos* sæviat, *se mihi iniquam & infestam præbeat,* novosq; *metus* ac tumultus conciter: *age* quantum *de hâc meâ vitâ tenui detrahet aut* imminuet *Nimirum ab illo quod parvum est auferri ulteriùs nihil potest. Atq; adeo* vos pueri, ô *filij mei, postquam* novus incola *Vmbrenus ad nos advenit, meq; agro meo expulit,* quanto parciùs aut ego aut vos nituistis, *quanto parciore cultu usi estis interea, atq; tum, cum essemus adhuc opibus integris, & quanto deterior corporis nostri nitor fuit? Nihilo profecto;* nam natura, *ut commorandi nobis hic diversorium, non autem habitandi concessit: ita etiam* neque illum *Vmbrenum* neque quenquam *alium* propriæ *alicuius & perpetuæ* telluris *dominum aut* hæredem statuet. *Nimirum* ille *Vmbrenus factâ agrorum aßignatione ab Augusto Cæsare* nos per *vim* expulit, illum autem *Vmbrenum* nequities & *luxuria, aut* ignorantia *callidi & versuti* juris *alicujus culpæ conscium, rursus* expellet *& exturbabit.* Certè *aliquis* hæres vivacior, *qui diutiùs vivat quàm ille, illumq; aliquando expugnet. Adeoq; ille* ager *qui* nunc *sub* Vmbreni *nomine*, nuper sub Ofelli nomine dictus *est*, nullius proprius *aut perpetuus* erit, sed nunc mihi, nunc alij in usum cedet. Quocirca, *ò amici, quicquid etiam vobis accidat* fortes *& imperturbati* vivite, *& vestra* pectora rebus *omnibus* adversis *adversa* opponite, & forti *animo resistite.*

SATYRA III.

DAMASIPPVS ET HORATIVS.

Piger & ignavus es ô Horati, & usq; adeo raro scribis *aliquid*, ut toto anno non quater membranam, *in quam illa referas, quæ antea in palimpsesto scripseris, à puero tibi dari* poscas

dum nihil scribis, licet multa scribas, quod lectione dignum judices, quæcunque scripsisti delens, vertens, mutans & retexens, tanquam Penelopes telam. Cum interea tibi ipsi iratus es, quod adeò piger sis & somnolentus, quod vini & somni nimis largus & benignus, & voluptati adeò & ignaviæ nimis indulgens, & plus impendio deditus, sermone & lectione dignum nihil canas, nihil scribas & mediteris. Quidnam tandem de te fiet, ô Horati? quippe tu inde à decimo septimo Decembris die, ab ipsis Saturnalibus huc in villam tuam Sabinam tanquam in secessum, ut ibi aliquid scriberes, fugisti. ergo si ob vini & somni largiorem usum hactenus ad scribendum tardius fuisti, age jam tandem sobrius & siccus dic & profer aliquid promissis tuis dignum. Age tandem incipe. Sed, quantum video, nihil est, nihilq; exhortatione hâc meâ proficio. Et calami quidem scriptorij tanquam minus ad scribendum apti frustra à te ignavo culpantur, & paries, tabula, pluteusq;, quem cogitabundus & iratus, quod animus pro voto scribenti nihil suggerat, continuò cædis & pulsas, ille immeritò propter verbera laborat, & à te percutitur, qui sane dijs minus propitijs & Poëtis iratis ac insanis verberandus, natus quodammodo videri possit. Atqui frons & vultus tibi erat hominis multa egregia & præclara minantis & de se pollicentis, si villula tua te Horatium tanquam in secessu vacuum otiosum & ab omni aliâ occupatione solutum post hiemem tecto tepido & à frigore temperato excepisset. Quorsum autem pertinuit, & quid profuit tibi cum Menandro Poëtâ ipsum Platona, Eupolin comicum & Archilochum maledicum illum Iambicum Poëtam, aliorumq; eximiorum auctorum libros stipatos comportare, & tecum extra civitatem in villam tantos auctores, tantos comites educere? Quid? itane stultorum more dum unum vitium evitas in alterum incidis, & virtute diligentiâ & industriâ relictâ, quæ invidia sequitur, malevolorum hominum livorem effugere & invidiam placare & pacare paras? O miser! sic inglorius & contemptus vives & contemnêris; qui si nolueris alios tibi tanquam meliori ob virtutem invidere, necesse est te propter ignaviam humiliorem alijs despectui esse. Nimirum desidia illa tua & improba illa Seiren, turpis corporis voluptas, quam Epicureus pro summo bono habes, quæq; te ut multos alios in naufragia famæ & vitæ inducet, sedulò vitanda est, aut omni virtuti & honestati valedicendum, & quicquid laudis & gloriæ studio & industriâ meliore sibi comparasti, & in sapientiâ profecisti, illud æquo animo est deponendum

nendum & *abjiciendum*. H. *Maximas tibi gratias ago, ô* Damasippe, *pro hac tuâ preclarâ admonitione, atq; adeò omnes* dij & deæ *ob hoc tuum* consilium verum *bonum & rectum* te *Stoicum barbatum aliquo* tonsore donent: *qui barbam tuam ad pubem usq; demissam radat & detondeat*. Sed *heus tu, ô Damasippe, unde nam de me tam sedulò percunctatus es; quid ego rerum geram, quid mediter, quæ tractem studia, atq; adeo* unde me tam benè cognovisti? D Postquam omnes *meæ facultates, atq; adeo omne meum patrimonium, omnis* mea res *in foro mercatorum* ad Ianum medium *in medio foro positum, tanquam in mari naufragio* fracta est, *omniaq; mea bona infæliciter mercando perdidi, dum* proprijs *meis negotijs ejectus &* excussus *sum*, aliena curo negotia, *& quia nihil domi habeo quod agam, foris quod alijs agant observo, & de tuâ aliorumq; vitâ inquiro*. Nam olim *antiquorum æreorum vasorum & statuarum mercator eram sagacissimus, &* amabam *studiosè* quærere *& indagare vasa ex* ære *Corinthio*, quo Vafer ille *& callidus* Sisyphus *Æoli filius, qui primus æris temperaturam invenit*, pedes *suos* lavare *solitus est; & ingeniosè judicare poteram, quidnam æreorum vasorum sine arte &* infabrè sculptum *esset*, quid duriùs *minusq; eleganter* confusum *& flatum* esset; *sciebam etiam unicuiq; suum pretium assignare, & quodvis signum quanti esset dicere, &* callidus huic signo *quinquaginta millia, alteri* centum millia *sestertiûm pretium* ponebam *& assignabam; ego deniq;* unus *& solus eximius mercator eram, &* hortos ac egregias domos cum lucro mercari *emere & vendere* noveram, *ex quâ meâ solertiâ populus Romanus &* compita *multis hominibus* frequentata, Mercurij *mercatorum* DEI nomen mihi imposuere.

H. Novi *illud omne, ô Damasippe, quod dixisti, quo magis* demiror te illius *veri studij tanquam gravis morbi* purgatum *& liberatum, ad saniorem mentem rediisse*. D. Atqui, *o Horati*, veterem *illum mercaturæ morbum* novus *aliquis Philosophiæ Stoicæ morbus* mirè emovit, *& è loco suo depulit, illiq; successit. Planè ut fieri consuevit, cum* lateris *dolor Pleuritis, vel* capitis dolor *Cephalagia* in cor trajectus *est, & fit morbus Cardiacus; &* velut Lethargicus, *qui gravi veterno inexpugnabilis somni oppressus vigilare & tanquam phreneticus & furiosus pugnare incipit*, & velut pugil medicum *suum verberibus* urget. H. Dummodo huic *aliquid* simile *non contingat, & dummodo phreneticus & insanus non evadas, & medicum & me, reliquosq; astantes non percutias*, esto *ut*

Iubet,

lubet, quovis morbo labores, per me id licet, nihil id mea refert, nihil te impediam, eſto vel omnium furioſorum maximus. D. At heus tu, ó bone vir, Heræi, ne te ipſum fruſtreris & decipias, ratus te ſapientem & ſanum eſſe, cum ſtultus & inſanus ſis. tu quoq; furis & inſanis, & tecum prope omnes ſtulti exceptis Sapientibus Stoicis: Si modo Stertinius ille admirandus & verax Philoſophus Stoicus aliquid veri dicit, ſonat & crepat. Nimirum à quo Stertinio ego Damaſippus tanquam ſedulus & docilis diſcipulus hæc quæ dicam mira Sapientiæ præcepta & oracula diligenter notavi; deſcripſi & edidici, ex illo tempore, quo ille me deſperantem conſolatus eſt, & ſapientem eſſe, & barbam paſcere, & à ponte à Fabricio Coſs. condito, de quo in Tibrim me præcipitare volui, non triſtem, ſed lætum ac hilarem reverti, & vivere, bonoq; animo eſſe juſsit. Nam re meâ malè & infeliciter geſtâ, opibus meis mercaturâ deperditis cum deſperabundus à ponte operto & tecto capite, ne caſu profunditate à periculo mortis revocarer, in ſubjectum flumen me mittere vellem, & præcipitare, ille Stertinius tanquam numen dexter, æquus & propitius mihi adſtitit, & periturum ſervavit, & Heus, inquit, ó Damaſippe, cum viro gravi turpe ſit frangi calamitatibus, cave faxis aliquid te indignum. Nimirum pudor malus, inutilis, & pernicioſus te ad voluntariam mortem urget, & impellit, ut qui verearis ne fortè inter inſanos innumeros inſanus habearis, ne amiſſis opibus ſtultus habitus contemnaris ab alijs, qui ipſi ſtulti & inſani ſunt. Age enim primùm inquiram, quid ſit furere, & inſanum eſſe. Hoc ipſum furere, ſi in te uno & ſolo erit, & in nullo præterea furor & inſania inveniatur, cauſſam non dicam, & nil vel verbi ulterius addam, quin fortiter e ponte deſilias, & moriaris, atq; pereas. Quemcunq; autem mala ſtultitia, & quemcunque veri inſcitia & ignorantia, ſtultum & cæcum agitat & vexat, illum Stoicorum porticus Stoa, & in illa totus Chryſippi diſcipulorum grex ſtultum, furioſum, & inſanum antumat, & affirmat. Hæc autem definitio Inſaniæ, & hæc Stoicorum ſententia tanquam prætoris formula omnes homines, totos populos, & magnos reges, uno Sapiente Stoico excepto tenet & obligat; ne quis ſcilicet auſit in dubium illam vocare. Jam autem omnes homines ſtulti & indocti ſunt. Ergo inſaniunt. Quod ut rectius intelligas age accipe nunc, quare omnes homines, qui nomen inſani tibi impoſuerunt, æquè ac tu delipiant, & inſaniant, veluti in ignotis ſilvis, ubi viæ ignorantia, & error

paſ-

passim *sine via devios* palantes, *& vagantes* de certo tramite pellit, *& abducit; ubi* ille sinistrorsum, hic *alter* dextrorsum agit, *& declinat, cum error multiplex sit, & infinitus*, *Et* utrique unus *& æqualis* error *est*, Sed *ille* varijs *in* partibus *homines vexat*, *&* illudit. Hoc *omnino* modo te *quoq;* insanum crede, *ut cum tu à dexterâ, alter à sinistrâ erret, & ille* qui *tanquam sanus sit*, te deridet nihilo quam tu sapientior, *æquè atq; tu excors & ignavus velut degener canis* caudam trahat. *Sunt autem duo* stultitiæ *genera:* unum genus *est illius hominis, qui more puerorum illa quæ* nihilum *omnino* metuenda *sunt* timet *& reformidat, adeo ut meticulosè de illis rebus sollicitetur, quæ non sunt*, & ignes, rupes, & fluvios in *plano & aperto* campo *sibi* obstare conqueratur, *metuatq; ne in aquis constitutus ignibus comburatur*. Alterum *secundum stultitiæ genus* huic *superiori planè diversum*, varium, *& contrarium est*, & *priore* nihilo sapientius, *sed æquè stultum, hominis temerario furore pericula contemnentis, &* per ignes, mediosque fluvios *furioso impetu* ruentis, *& perrumpentis; adeo ut si* amica *& benivola* mater, honesta soror, *&* pater *adeo, atq;* uxor cum *omnibus* cognatis *ipsum* inclamet, *& de periculi magnitudine ipsum admoneat, & dicat: cave tibi cave*, hic ingens fossa, *& vastum præcipitium*, maximaque rupes est, serva *te ne præcipiteris; Nihil omnino curet*, nec magis *inclamantes* audiat, quàm Fusius *ille* Tragædiarum *actor, dum benè potus* Tragædiam *illam Ilionam Pacuvij agit, in quâ Polydorus Priami & Hecubæ filius à Polymestore rege Thraciæ propter aurum interimendus introducitur sororem suam Ilionam reginam & matrem Hecubam dormientem miserabili voce inclamare ut sibi subveniat*. Cum *interea Fusius qui* Ilionæ *personam agebat, qui simulato dormire deberet*, ebrius *verè* edormit; *adeo ut si* mille *&* ducenti, *& innumeri adeo* Catieni, (*Catienus autem personam Polydori repræsentabat*) *ingenti voce* clamarent, *ó* mater *Hecuba, ó soror Iliona* te appello, *te imploro mihi ut subvenias, nihil tamen audivit*. Huic errori, *& stultæ insaniæ* ego docebo cunctum vulgum similem *errorem errare, similem insaniam* insanire. *Etenim* Damasippus (*ut à te incipiam*) insanit *dum tanto studio* veteres statuas *& vetera vasa* coemit: *Atqui nunquid ille, qui* Damasippi creditor est, *illiq; lucri spe concredidit*, mentis integer, *& sanus est? Minimè verò. At verò esto ita ut sit sanus, & concedam creditorem tam diu sapere, donec probem*

illum debitore insaniorem esse. *Age enim* si dicam tibi: *Hem tibi*, accipe *illud*, quod nunquam mihi restituas: Tune insanus eris si acceperis, *quod tam felici occasione tibi offertur*, an *verò* magis excors *&* *stultus si* prædam, quam Mercurius *lucri Deus* præsens *& propitius tibi ultro* offert rejicias. *Et profectò furiosi sunt & insani, qui credunt illa, quæ nunquam sunt recepturi illis, à quibus sciunt se decipiendos. Cum nulla Syngrapha, nulla chirographa condi possint tam cautè & circumspectè, quā callidus & versutus debitor non eludat. Age enim à* Nerio *JCto dictante* decem *tabulas obligatorias concipe &* scribe, *debitoribusq; tuis propone ut illis se tibi debere fateantur; Quod si hoc nondū* satis est, adde *illis decem adhuc* centum *alias* tabulas *obligatorias juxta præscriptum* nodosi *illius* Cicutæ *ICti alterius, qui mille obligationibus tanquam nodis debitores implicare potest*: adde *deniq; alias* mille catenas, *innumeras cautelas, & juris nexus; Nihilominus* tamen sceleratus *ille & perfidus tergiversator, & lubricus debitor, tanquam Oceani & Tethyos filius* Proteûs, *Deus marinus in omnes formas variabilis hæc tot vincula, tot obligationes* effugiet *& eludet, & quasvis Strophas comminiscetur ne debitum solvat,* cum *illum* in jus rapies *te insuper irridentem, quamvis risum veriùs simulantem, &* alienis maxillis ridentem, *cum suis proprijs plorare potius deberet. Ibi verò ille in morem Protei in omnes formas se transmutabit, & modo ferox* aper, modo *fugax* avis, modo saxum *immutabile, & modo* cum volet arbor fiet, *& nunquam quod debet solvet. Certè creditores debitoribus longè stolidiores. Etenim* si rem *suam perdere, &* malè gerere insani est, contra *autem rem suam benè agere & augere* bene sani, *tum profectò* mihi crede cerebrum *Nerei* Petilij creditoris, *qui tibi debitori, quæ loco obligationis scribere debeas, dictat*, quæ tu nunquam possis rescribere, *& per argentarij codicem & scripturam reddere, longè* putidius, & *stolidius est, quàm tuum, qui pecuniam creditam nunquam velis, vel possis solvere. Non igitur tu solus, Damasippe, furore detineris, sed multi alij juxta tecum:* Atque *adeò ego Stertinius tanquam rex, Stoicus, se ad* audiendum *comparare*, togam componere, *& diligenter unumquemq; auscultare* jubeo, quisquis *ambitiosus aut avarus est; quicunq;* malâ ambitione *tumet*, aut argenti amore *& desiderio* pallet, quisquis luxuriâ *& prodigalitate*, vel tristi *& meticulosâ* superstitione aut alio *vitio*, mentisque morbo calet, *æstuat, & inflammatur:* Huc

vos omnes & singuli propius *ad* me dum vos omnes insanire doceo *suo quisq;* ordine adite *& accedite.* *Initiò valde magna, &* multo maxima Hellebori pars, *quâ cerebrum ab insaniâ perpurgetur,* avaris danda est, *&* nescio an *illis omnium reliquorum insanissimi sint, &* ratio *ac sapientia illis* omnem *& universam* Anticyram *in Propontide Insulam, in quâ veratrum copiosè provenit,* illis *avaris* destinet, *& constituat.* *Multa profectò exempla hoc ipsum comprobant.* Heredes Staberij *ditissimi & sordidissimi hominis testamento jussi sunt* summam, *quam quisq; ex testamento accepisset, saxo* sepulcri *testatoris* inscribere: *qui heredes* nisi *illud* sic fecissent, *eodem testamento à Staberio in maximos sumtus & impensas* damnati *erant.* *Nempe jussi sunt* populo *Romano ludum* gladiatorium *exhibere*, *&* centum paria *gladiatorum* dare, *& in Amphitheatrum inducere; quin etjam congiarium* vel epulum, *oleum*, *& Artocreas populo largiri*, *&* frumentum *infinitum*, quantum *feracissima* Africa metit, *idq;* *pro* arbitrio Arrij *hominis sumptuosissimi & voracissimi, ita ut heredibus ingratis quod testatoris voluntati non satisfecissent, nihil aut parum relinqueretur.* *Ne quis autem hujus rei rationem exposceret in testamento addidit Staberius:* Sive rectè, sive pravè ego hoc *ita* volui, ne *tanquam severus rerum mearum censor, &* patruus mihi sis, *hujusq; rationem à me requiras.* Credo *ego si Dijs placet,* Staberij prudentem *& integrum* animum hoc *ita* voluisse *& constituisse.* *Cui autem hoc fiat verisimile? Verum quæris hic fortè, ô Damasippe*, quid*nam* ergo sensit *Staberius*, cum voluit heredes *suos* summam patrimonij saxo insculpere? *Anne tunc insanivit? Mi Damasippe, Staberius ille semper* quoad vixit *avarorum more* paupertatem ingens vitium, *atq; adeo summum malum* judicavit, & *in totâ vitâ* nihil acrius, *atq; adeo cane & angue pejus* cavit, *quàm paupertatem:* Vt si fortè uno quadrante minus *dives &* locuples *opinione suâ* mortuus fuisset, *hoc ipso* sibi ipse nequior *seipso, certè minus bonus & felix* videretur. Omnis enim res *in mundo*, virtus fama, *honor*, decus, *&* divina *deniq;* & humana pulcris divitijs, *& pecuniæ mundi dominatrici, ac reginæ* parent, *atq;* *obtemperant:* Quas *divitias* quis*quis* construxerit, *& congesserit*, ille *omnia habet*, *omnia* erit, *nempe* clarus, fortis, justus, sapiens; etjam & rex, & quidquid *deniq;* volet. Hoc *ipsum ergo, nimirum immensas opes congessisse,* tanquam virtute paratum, *& summum bonum sibi post mortem* ma-

gnæ laudi fore, & immortale nomen allaturum speravit. Atqui dices hic, si pecunias more avari congerere insani est, easdem profundere & contemnere sani erit, & sapientis. Nempe hoc est illorum, qui dum unum vitium evitant, in contraria incidunt. Nam non minus insanus est qui pecuniam ad res necessarias utilem omnino contemnit, quàm qui nimis amat. Quidnam enim illi Staberio simile fecit Græcus ille Philosophus Aristippus: qui è contrario, cum in mediâ Libyâ iter faceret, servos suos aurum, quod à rege Mauritaniæ dono accepisset, abjicere jussit, cum propter auri pondus segnes, tardiùs iter facerent. Vter horum duorum insanior est, Staberius qui omnino aurem congregat, an verò Aristippus, qui omnino tanquam quamvis aliam terræ glebam abjecit? Sanè illud exemplum nil agit, & nullius momenti est, quod litem resolvit lite, quod ad decidendam controversiam rem aliam controversam adfert, & quod contrarium refutaturum æquè disputabile est, & dum veterem litem vult dissolvere novam progignit. Sic avaritia per luxuriam solvenda non est, quæ æquè damnanda. Cæterùm de priori avaro prius agam, demonstraturus illo nihil insanius, nihil furiosius inveniri. Age enim si quis citharas, barbita, & reliqua omnis generis instrumenta Musica coëmat, qui interea nec ullo citharæ studio, ne ulli Musæ deditus, sed planè Amusus esset: Item si quis cultros sutorios, scalpra, ligneos pedes, & formas, & reliqua instrumenta sutoria curiosè coëmat, & colligat, qui sutor non sit, nec congestis instrumentis utatur: Item si quis vela, & reliqua instrumenta nautica congerat, à navigatione & mercaturis alienus, & aversus existens, ille undique ab omnibus delirus & insanus meritò dicatur. Age dic mihi, ô Damasippe, quidnam, vel quomodo ab illis insanis differt, vel discrepat, qui numos, aurum & argentum collectum in terrâ defodit & recondit, illis collectis & compositis uti nescius, & illas pecunias veluti rem sacram, & minimè tangendam, minimè profanandam contingere metuens? Et tamen pauci sunt qui hujusmodi avaros insanos reputent. Si quis enim avarus eodem prorsus modo magnas opes colligat, ijsq; non perfruatur, & si propè ingentem frumenti acervum stratus & porrectus jacens, cum longo fuste, quibus fures abigat, vigilet, & idem tamen dominus famelicus & esuriens illinc ex tam magno acervo ne granum quidem contingere, & auferre, inq; necessarium usum vocare audeat, ac potius oleribus agrestibus, & folijs erucæ & inulæ acerbis & ingratis, tanquam nimis parcus

atq;

atq; avidus vescatur: Si etjam intus in cellis suis vinarijs Chij optimi, aut Falerni veteris & generosi vini mille cados & vasa vinaria, nihil est, quod dixi, imo tercentum millia posita habeat, interea per avaritiam non vile & evanidum vappescens vinum, sed jam planè in acre acetum degeneratum potet: Age etjam si ille avarus jam senior unde octoginta, vel septuaginta novem annos natus vilibus stramentis noctis tempore incubet, cui egregia vestis stragula plumario opere facta; vermium vestes arrodentium, blattarum & tinearum epulæ & cibus existens, nunquam in usum producitur, sed in arcâ recondita corrumpitur, & putrescit: Hic, nimirum, talis ac tantus avarus paucis omnino hominibus insanus ac stultus videatur, eò quòd maxima hominum pars eodem avaritiæ morbo laboret, agitetur, & jactetur, & avaritiæ vitium omnibus fermè commune sit. O senex infelix, & miser, & propter avaritiæ tormenta Dijs invise & inimice, tune ut locuples moriaris egenti fato vivis? tune tot vini cados custodis, ut illos filius tuus luxuriosus, aut etjam libertus heres tuus genialiter bibat & absumat haud existimans quanto labore partos, quantâ avaritiâ parsos? Anne forte eo, tanto studio congestis tuis opibus parcis, ne postea tibi desit, vel ne illis consumtis rerum penuriâ postea labores? Hoc quidem absurdissimum est. Quantulum enim, & quam parum aut modicum & pæne nihil unusquisq; dies de tam immensâ opum & pecuniæ summâ auferet, & decurtabit, si lautiùs aliquanto in senectute vivere incipiat; tuaq; olera & caules, & caput tuum, quod dum continuò opibus inhias impexum habes, & sordibus ac fœdâ porrigine obductum, & fœdatum inungere cæperis? Certè cum adeo dives sis, nihil opus est, ut metuas, ne modico opum tuarum usu ad paupertatem redigaris. Si verò quidvis satis est homini, & tã parvo contentus potes vivere, ut ex victu tuo perspicio, quæso cur tot ærumnis, tot sceleribus ad immensas opes contendis, quibus non uteris, quibus opus non habes? Quare perjuras? quare omnia per fas, & nefas surripis, & quocunque modo potes, aufers? Tune sanus es? Minimè vero. Quod enim certiùs insaniæ argumentũ? Quid dicã de immensis facinoribus, & sceleribus, quæ avari opum furioso desiderio committunt? Age enim si populũ lapidibus petere, aut servos tuos quos tanquã mancipia, ære tuo emeris, aut comparaveris, saxis percutere, aut cædere incipias, tum omnes pueri, & puellæ, nedum provectioris ætatis homines te furiosum & insanum esse elatâ voce proclament. Ecquid, inquam tunc incolumi capite, & sano cerebro es? Minimè verò.

Quid enim *tu sanus sis, qui nullas hujus sceleris perpetrandi justas causas habes?* Neque *enim* ut demens *&* *furiosus ille* Orestes matrem *suam Clytemnæstram Argis in illo loco ubi olim ab Ægistho adultero adjuta patrem suum Agamemnonem nefariè trucidaverat, suæq; vitæ insidias struxerat, merito jure* occidit: tu *quoq;* illud Argis facis; *ut locus ille de vindicando matris scelere te admonere posit;* nec *ut Orestes,* ferro, *vi, & furore manifesto illud facis, sed occulto veneno.* Anne *verò* tu censes eum *tum demum* insanire *incepisse, cum* parentem occidisset? Ac non *potius* ante quàm in matris jugulo acutum ferrrum tepefaceret, *tanquam insanum &* dementem malis furijs actum *fuisse?* Quin *imo, Ille jam antea, cum facinus illud moliretur furebat, contra matricidium dementiæ ejus quodammodo finem imposuit.* Et ex *illo tempore* quo Orestes malè tutæ mentis, *cui quis se non facilè committat, & furiosus* habitus fuit, nihil sanè fecit, quod tu *magnopere* posis reprehendere: Non Pyladen *Strophij filium summum suum amicum, & perpetuum comitem,* vel Electram sororem *suam fidissimam* ferro violare ausus *fuit:* Tantum *levi convitio illos proscindit, &* utrique maledicit: *Dum hanc sororem suam, suam* furiam vocat, *à quâ agitetur;* Hunc *Pyladen autem custodem suum* aliud *appellat, alioq; convitio petit,* quodcunq; *atra &* splendida bilis jnsit, *ipsiq; suppeditat. Longè ergo, & infinito intervallo major vestra avarorum insania. Quid enim furiosius, quàm immensas opes periculis & laboribus sibi congerere, & interea fame atq; mediâ contabescere?* Opimius quidam *maximâ* auri & argenti *copiâ domi* intus *in thesaurum* reconditâ *inter magnas opes adeo inops &* pauper *erat, ut* festis diebus *nihil lauti in cibum potumve adhiberet, &* Vejentanum *tenuissimum & vilissimum vinum, idq;* è trullâ *fictili aliquo poculo in* Campaniâ *factâ* potare, *diebus autem* profestis vappam, & *evanidum vinum bibere* solitus *sit.* Hic *Opimius* quondam *adeo* grandi lethargo, *vel veterno morbo* oppressus est, *in quo tam inexpugnabilem somnum incidit,* ut *avidus* heres *illum mortuum, & nunquam evigilaturum ratus* lætus, & ovans circum loculos & claves *Opimij dormientis* discurreret, *amplissimas divitias relictas occupaturus, & directurus.* Hunc *Opimium* medicus, *qui forte adhibitus erat* multùm celer *ante, quam heres relictas opes eriperet,* multumque fidelis, (*ut qui ab heredipetis velturibus opes ægroti sui eripi nollet) miro aliquo artificio, cum medicamentis nihil proficeret,*

hoc

hoc pacto excitat, & vigilare facit: Propè lectum, in quo ægrotus decumbebat, mensam quandam poni, & numorum ingentes loculos & saccos super ipsam effundi, & plures homines ad numerandum accedere jubet, tanquam jam mortui relictæ opes inter relictos heredes distribuerentur. Insuper illud verbis addit, & ægrotum Opimium alloquitur: Nisi vigilas, & bona tua custodis, ô Opimi, avidus tuus heres, ut vides, jam hæc auferet. Illud verò ægroto avaro indignum visum est spectaculum, qui veterno excusso indignabundus in hæc verba prorupit: Mene vivo bona mea mihi auferri! ò indignum facinus! Cui medicus: Vt igitur vivas, ô Opimi, tuaq; bona retineas vigila, non ulterius dormi, sed hoc age, inq; hanc unicam curam incumbe, ut vigiles, & convalescas. Ibi verò Opimius expergefactus: Quid vis, inquit, ut faciam? Respondet medicus. Tu ex fame atq; inediá hunc morbum tibi contraxisti, & ne nunc quidem aliquanto liberaliore cibo & potu te reficere sustines. Inde te ob morbum inopem & calamitosum venæ exhaustæ deficient, ac destituent, corpus tuum non amplius sustentare poterunt, nisi largior cibus, tanquam ingens fultura ad stomachum tuum jam jam defecturum, & ruentem accedat. Agedum, quid cessas, cur vires tuas non reficis & comedis? Sume tibi hanc ptisanam ex oryzâ coctam, & confectam. Quem avarus, metuens ne nimis forte multum impensæ in oryzâ emendâ insumtum sit, statim interrogat: Quanti hæ oryzæ emtæ sunt? Respondet medicus: Parvo admodum precio, tu tantum comede, & illâ re nihil solliciteris. Avarus autem ille ulteriùs interrogando instat: Quanti ergo emtæ sunt, quàm tandem illud mihi respondes? Respondet medicus: Tantum octo assibus, vix tribus sestertijs. Ibi verò ægrotus Opimius ex avarorum naturâ ob tantulam impensam exclamare incipit: Eheu, me miserum, cui fato quasi impositum, ut miser sim, & peream! Tantosne sumtus fieri! Quin tu, ô medice, me morbo potius exstingui, & interire sine. Quid enim refert aut interest morbo inteream, an verò furtis & rapinis? Cum mea diripi, & ita omnia insumi omni morbo & morte jamdudum mihi gravius sit. O Incredibilem & inauditam avarorum insaniam! Si interroges igitur me, ò Damasippe: Quisnam sanus sit; Respondebo. qui non stultus est. Si ex me quæras, quid avarus sit; rectè respondebo: Stultus pariter & insanus. Quod si percuncteris: Quid? si quis avarus non sit: anne ille continuo sanus est? vel anne soli avari stulti sunt? Respondeo: Minimè.

Sira-

Si rationem à me poscas, & dicas; Cur, ô *Stertini* Stoice, *illi qui avari non sunt, continuò sani non sunt: illud tibi* dicam: *Quia non unum sed varia sunt stultitiæ genera. Etenim velut morbi corporis varij sunt, & multiplices, ita etjam animi.* Puta *enim* Craterum *eximium medicum de aliquo ægroto consultum respondisse, &* dixisse: Hic æger non est cardiacus. Idcircone *continuò hic æger* recte est, *nullóq; morbo detinetur,* & *continuò tanquam sanus è lecto* surget? *Illud verò Craterus medicus* negabit, *eò quod alio morbo detineatur,* quod latus *ejus pleuritide,* aut renes *ejus calculo, vel aliæ partes corporis alio* acuto morbo tentantur. *Ita etjam si ab homine quopiam flagitioso & insano pronuncietur?* Hic *homo* non est perjurus neque sordidus. *Quin ille, Ideo tanquam omnino sanus, vel ab insaniâ liberatus* Laribus æquis *& benevolis Dijs, malorum averruncis, & mentem sanam domesticis præstantibus ex more* porcum immolet, *quorum ope à furore liber est.* Verum *id Chrysippus morborum animi medicus negabit, & illum alio animi morbo insanire demonstrabit: Vt qui opus habeat, ut tanquam* ambitiosus, & audax *insaniens,* Anticyram *insulam in Propontide* navigio petat, *ubi meracis* Ellebori *potionibus ab insaniâ perpurgetur.* Quid enim differt *vel interest ad insaniam,* an *omne tuum patrimonium* quidquid habes barathro, *ingluviei, & ventri omnivoro* dones, *ac indulgeas: tanquam luxuriosus,* an *verò rebus opibusq; tuis* paratis *more avari* nunquam utaris. *Sanè uterq; æquali insaniâ laborat. Hujus rei eximium exemplum habemus in duobus filijs Servij* Oppidij, *quos cum pater ad hæc vitia inclinare videret, eos sedulò ac seriò tanquam à morbis animi, & manifestis furoribus dehortatus est. Hic enim, quem dixi,* Servius Oppidius *vir probè sanus, ac fundis, prædijs, agris, gregibus, armentis, &* antiquo *adeo* censu *satis* dives Canusij *in opido Apuliæ Peucetiæ* duo prædia duobus filijs *suis Aullo & Tiberio* divisisse fertur, & *illis suis* pueris ad lectum *ad se* vocatis moriens *præclaro exemplo* hæc dixisse; Postquam, *ô* Aulle *fili, ex puerili ludo ingenium tuum ad profusionem inclinare animadverti;* Vidi *enim aliquando* te talos & nuces *aliasq; pueriles opes, tanquam non curares illas, in* laxo *& profuso* sinu ferre, *illasq; alijs* donare & ludere: *Postquam contra* te, *ô Tiberi fili, nuces ac talos curiosè* numerare, *&* tristem *ac sollicitum, ne imminuerentur, locis occultis, & terræ* cavitatibus *occultare & tanquam thesaurum* abscondere: *non immeritò ego pater, de filiorum salute sollicitus* extimui *&*

formi-

formidavi, ne vos olim ætate provectiores discors insania prodigalitatis, & avaritiæ ageret: ne scilicet tu, ô Aulle, Caßium Nomentanum profusum nepotem, qui immensum patrimonium prodegit: tu vero, ô Tiberi, ne sequereris Cicutam sordidißimum fæneratorem. Quare uterque vestrum, ô filij, à moriente patre, per genium vestrum, per dextram meam, per Divos Penates domesticos oratus, Tu, ô Aulle, cave ne prodigalitate imminuas, tu autem ô Tiberi, ne avaritiâ majus facius id relictum vobis patrimonium, quod pater vester vobis satis esse putat, & ipsa natura modico contenta non plura admittens, nec pauciora tenens, intra suos limites cohibet, & coërcet. Præterea ne ambitionis illecebræ, & gloriæ dulcedo vos sollicitet & titillet, Iurejurando ambos vos obstringam, ut quicunq; vestrum magistratum ullum appetierit, & uter vestrum ædilis vel Prætor fuerit, is detestandus, intestabilis, exsecrabilis, sacer, & exhæres esto. Quid? Ergone, in Floralibus, aut annonæ caritate largitionibus populo palpaberis, & bona tua in cicere, fabâ, lupinis, & alijs leguminibus in populum profundendis perdas, ut ædilitatis aut præturæ honorem consequaris? & ut in circo summotâ per lictores turbâ cum bis ter ulnarum togâ latus, & supinus ambules, aut ut æneâ aliquâ statuâ tibi ponatur, & ex ære fusus stes, interea ad inopiam redactus, ô insane, & agris numisque paternis nudatus, & scilicet ut & tibi populus Romanus illos honores exhibeat, quos magnis & excellentibus viris exhibet, tuq; illos plausus & acclamationes feras, & reportes à Romano populo, quos vir maximus M. Vipsanius Agrippa fert, & ita tanquam astuta vulpes ingenuum ac magnanimum leonem imitata sis, eoq; arte largitionibus, & corruptione populi pervenire contendas, quo Agrippa & alij singulari virtute, fortitudine, & magnanimitate pervenerunt. Quid de regibus & principibus dicam, qui quotidie immania scelera impunè perpetrantes vehementer furiunt ac insaniunt? Vt enim reliqua silens præteream, cum Ajax in judicio armorum Achillis, injuriâ principum Græcorum ab Vlysse superatus, & doloris impatientiâ in rabiem actus boves & porcos flagellat & mactat, Menelaum, Agamemnonem, & Vlyssem illos ratus, & ad saniorem mentem rediens indignitate rei permotus gladio se transfigeret: Sanusne tunc fuit Agamemnon, qui fortißimi illius viri cadaver sepulturâ prohibuit? Age enim si quis vulgaris & plebejus miles illum regem Agamemnonem impune compellare posset, quàm facile illud demonstraret? Si enim ipsum interroget &

dicat: O Atrida, cur vetas ne quis Ajacem velit humare? Quid respondebit: Nimirum: Rex sum, mihiq; quidquid libet licet, & voluntas pro ratione. Ibi statim privatus ille taciturnus dicet: Quia tu rex es, ego plebejus cum sim rationes ultra non exquiram. Hic verò tum rex quamvis tyrannus subdito tamen placidus & justus videri volet, & inquiet: Rex sum, & dum impero, ne quis Ajacem sepeliat, æquam & justam rem imperito, & si cui hoc agens, non justus videar, illi sententiæ regiæ percunctandæ libertatem concedo, eumq; permitto impune ac multò dicere quæ sentit. Ibi verò privatus pro hâc loquendi libertate regi gratias aget, & Chrysam sacerdotem Apollonis apud Homerum imitatus dicet: ô Regum maxime Agamemnon, Dij tibi concedant ut captâ & eversâ Trojâ classem navium feliciter domum reducas: Ergone mihi imposterum impunè licebit te consulere & interrogare, & vicissim liberè quidquid velim respondere? Responderet Agamemnon; Consule & interroga me de meis factis: Integrum hoc tibi erit. Ibi verò privatus confidentior & liberior ipsum interrogabit: Cur Ajax fortissimus ille heros, omnium reliquorum Græcorum uno Achille inferior, & ab illo secundus, insepultus jacens putrescit? qui nimirum nobilis & clarus est, quod Achivos toties servarit, eorumq; naves ab ignibus Trojanorum incolumes præstitit? Nempe ut Priami populus Trojani, & ipse Priamus hostes nostri propterea gaudeant & lætentur, quod ille jam supremo sepulturæ honore privatus sit, per quem tot juvenes Trojani interemti canibus feris & volucribus objecti & insepulti, patrio sepulcro caruerunt. Tunc Agamemnon rationem reddens cur ita in Ajacis cadaver sæviat, respondebit: Ille Ajax furiosus & insanus mille ovium, & porcum ingentem morti dedit & occidit, clamans interea se inclytum illum Vlyssem, & fratrem meum Menelaum unà mecum occidere. Nonne ille dignus qui sepulturæ honore careat, qui mei odio insanus in bruta animalia tam miserè sæviat? Hic autem non immeritò privatus responderet: O rex improbe & scelerate, quisnam & qualis tu es, cum in Aulide regione & portu Bæotiæ, cum ibi Græcorum naves adversis ventis detinerentur, dulcem tuam gnatam Iphigeniam pro vitulâ aliquâ, quâ ventos placare poteras ante aras statuis, & mactas, ejusq; caput farre cum sale, vel molâ salsâ ex more sacrificantium spargis? Anne tunc animi rectitudinem, sanitatem, & constantiam servas, & sanæ mentis manes? Hæc Agamemnon nondum intellegens interro-

terrogabit: Quorsum hæc tendunt, furcifer? Respondebit ergo privatus. Quid enim Ajax magnopere fecit, & peccavit, cum in gregem ovium & porcorũ irruens ferro & flagris pecus stravit. Nempe ille ab uxore Tecmessâ, & filio Eurysace omnem vim & injuriã abstinuit, cum vobis Atridis fratribus, & Vlyssi mala multa imprecatus esset: Non ille interea ullum hostiũ, non Teucrũ suum fratrem, aut Vlyssem tanquam hostẽ violavit. Atq; adeo ille hominum loco bruta animalia tu verò brutorũ loco hominem, atq; adeò filiam tuã mactâsti. Vter vestrũ insanior? Verum hîc Agamemnon insaniæ notam à necessario confutare, seq; excusare volet, & dicit. Ego ut naves Græcorum in Aulidos litore adverso & inimico unde solvere non poteramus, hærentes, & contrarijs ventis impeditas eriperem, & solverem prudens volens & sciens filiæ meæ sanguine Divos, & ventos placavi. Cui privatus. Nempe, ô rex furiose, hoc quando filiæ tuæ sanguine fecisti, tuo hoc fecisti sanguine, filia enim tua caro, tuusq; sanguis est. Cujus hoc furoris est? Hic respondebit rex: Fateor quidem quod meo sanguine id fecerim, sed non tanquam furiosus. At heus tu, inquiet privatus, Quicunq; rerum species falsas & à veris alienas, easque sceleris tumultu, perturbatione & confusione permistas & implicitas accipiet, & approbabit, (alienas autem à vero species voco hoc loco vanam gloriam, quam ex non necessario & pernicioso bello aucuparis, & insuper parricidio filiæ tuæ contaminas) ille talis, inquam, de mente & sanitate rationis commotus & deturbatus non immerito habebitur; Nihilq; distabit & referet ex stultitiâ erret atque insaniat ut tu: An verò ex vehementi irâ & indignatione ut Ajax. Et Ajax quidem dum immeritos agnos occidit, desipit & insanit. An verò tu, ô Agamemnon, cum prudens & sciens scelus admittis filiamq; mactas ob inanes titulos, ut navibus Trojam venias, ibiq; supremus belli imperator, Trojæ domitor, & populorum pastor [illegible]aris, propriæ tuæ filiæ lupus existens, anne tunc animo stas, mentisq; compos es? Et nunquid tibi cor tunc à vitio & furore purum est, cum fastu irâ, libidine, alijsq; pravis adfectibus tumidum & plenum est: Age, ô rex, ut evidentius aliquanto te tibi demonstrem, tuamq; insaniam ostendam: Si quis nitidam aliquam & formosam agnam in delitijs habeat, eamq; in lecticâ à sex, aut octo servis lecticarijs gestare amet; huic insuper elegantiorem vestem, & ancillas, quæ ejus tanquam dominæ curam agant, & aurum, gemmas, & ornamenta paret, illamq; blan-

dis verbis, & diminutis, quibus in blanditijs utimur pusam & pusillam *aut* puellam *vel puellulam* appellet, & viro *egregio* ac forti uxorem *in matrimonium ducendam* destinet, *spondeat, & constituat*: Huic prætor *non injuriâ tanquam stulto & furioso*, omne jus, *omnemq; administrationem rerum suarum* interdicto *aliquo* adimat, *hujusq; hominis* tutela, *ejusq; bonorum curatio* ad propinquos transeat. *Si quis ergo agnam instar filiæ amet, educet, ornet, insanus meritò judicatur.* Quid *quæso de illo judicandum est, & quanto ille insanior est, qui contra filiam instar agnæ mactat, & occidit, vel si* quis natam *suam* pro *mutâ aliquâ & brutâ* agnâ devovet, *aræq; destinat? Illene* animi *& rationis* integer est? *Imo verò omnium hominum maximè insanus & furiosus.* Ergo *ô Agamemnon*, ubi prava stultitia *est, qualis in te deprehenditur,* hic summa est insania, & *quicunq; ut tu occisâ filiâ* sceleratus *est, hic etjam* furiosus erat; *Et* quemcunq; *deniq; ut te popularis* fama vitrea, *& fragilis* cepit, *& captum ducit,* circum hunc *etjam* Bellona *Martis sive nutrix, sive soror, aut auriga bellis* cruentis gaudens, *furoris concinnatrix, suisq; sacerdotibus mentem adimens, circum* tonuit, *& strepitum edidit, eumq; de mente motum deturbavit. Vnde cum tu ô Agamemnon rex majori insania detinearis, quàm Ajax, non video, quo jure illum sepulturâ prohibeas. Hæc non immeritò privatus aliquis cum furioso suo rege loqui poterat. Ex quibus necessariò convincitur & comprobatur quod omnes avari insani sunt.* Nunc age, *Damasippe, ad Prodigalitatem, quæ æquè atq; avaritia insaniâ laborat, mecum transi, & furiosam* luxuriam, & *Cassium* Nomentanum *dementem & profusissimum nepotem examinandum qualis sit,* arripe. *Ipsa* enim ratio *convincit* stultos *hosce, & luxuriosos* nepotes *mente motos furere &* insanire. Hic *quem dixi, Cassius Nomentanus postquam immensas pecunias, &* mille *nummorum* talenta patrimonij *loco à patre relictum* accepit, *tanquam scurrarum & nebulonum prætor pro imperio* edicit; *& mandat,* ut piscator, *qui nobiles pisces ipsi capiat & procuret, ut* pomarius, *preciosorum malorum venditor; ut* auceps; *ut* ungnentarius, *atq; adeo omnis multitudo* ac turba impia vici Thusci, *ut sunt lenones, meretrices, fœneratores, lurcones, ganeones, barathrones, mendici pharmacopolæ, sicarij, gladiatores, & deniq;* fartor *vel macellarius* cum scurris, *& bomolochis, & deniq;* omnes *qui in* macello *carnes publicè vendunt* cum *olearijs & unguentarijs omnibus, qui in* velabro; *ut illi, inquam, omnes*

& *stu-*

& singuli matutino tempore domum *suam* veniant, *sibiq; præsto sint.* Quid tum *postea factum existimas? censesne illos emansisse?* Illi *verò* non segnes venerunt, *& nepoti huic præsto fuerunt. Hi nebulones ubi ad patronum suum venisset,* leno *omnium primus tanquam reliquorum procurator* verba facit, *& pro se ac reliquis sic loquitur, omnia sua bona, suaq; officia patrono suo satis assentatoriè deferens, Tuo mandato morem lubentes & meritò gerentes, præsto tibi sumus, Nomentane patrone incomparabilis, tu verò quidquid volueris audacter nobis impera. Nam* quidquid mihi, & quidquid horum cuiquam domi est, illud tuum *esse* crede, & *quocunq; tempore volueris,* vel nunc, vel cras *illa omnia tanquam tua* pete *& aufer.* Accipe *jam,* quidnam æquus *& humanus ille* juvenis *Cassius* Nomentanus *huic assentatori* responderit: *Amor studiaq; mei vestra merito vestro mihi habeo commendatissima, utinamq; condigno beneficio aut munere illa compensare possim? quo ipso valde equidem sollicitor. Quanta enim vestra quotidie in me extant officia? Tu enim venator nocturno tempore* ocreas *indutus* dormis, *idq; sub dio,* in Lucanis *montibus gelidis, &* nive *conspersis,* ut aprum *aliquem capias,quem* ego cænem; Tu *autem piscator* hiberno *tempore, quo piscatio difficilior & periculosior, everriculo mihi* ex æquore *omnis generis* pisces *captas, &* verris: Ego *contra in dando vobis præmio* segnis *& ignavus,* indignus *profecto,* qui, *cum nihil in vos benè meritos conferam,* tantum *divitiarum* possideam. Aufer *ergo, &* sume tibi *à me, ô Venator,*decies *centena millia* H-S. tu *autem piscator* tantundem *accipe*, Tu *autem* à quo uxor *quædam ad concubitum* vocata *vel* mediâ nocte *ad me* currat *& festinet sume* tibi triplex,*tricies centena milia nummum. Hujus Nomentani prodigam & prodigiosam insaniã Clodius Æsopus, illius Clodij* Æsopi filius, *cujus patina sexcentis H-S fuit æstimata, quiq; filio ducenties H-S, centena milia H-S reliquit, adhuc magno intervallo superavit: ille enim,* ut scilicet *immensa amplissimi patrimonij vorago diceretur, & unico haustu* decies *centena millia* solidorum absorberet,insignem *gemmæ* baccam *& unionem* ex aure Metellæ *conjugis suæ* detractam aceto diluit, *& potavit: Cleopatram, nisi fallor, imitatus, quæ unionem aceto dilutam hauriens Centies centena millia Sestertium simul unâ vice absorpsit. O inauditam dementiam? Qui enim* sanior *fuit,* ac si illud ipsum *tot H-S omnino perdere vellet,* inq; rapidum flumen aut *obscœnam*

cloacam furiosè proijceret? Quid de alijs prodigalitatis vitijs dicam magis adhuc furiosis? Quincti Arrij filij duo insana progenies, & fratrum par nequitiâ, luxuriâ, nugis, ingenij levitate, rerumq; malarum studio satis nobile, & pravarum rerum studio adeo inter se similes ut meritò eodem tempore ex unâ matre nati, & gemelli censeri potuerint; Hi duo ex furiosâ luxuriâ luscinias, aviculas ob cantum preciosissimas immenso precio undiq; coemtas in cibum apponere, & prandere soliti fuerunt, ut tantum unico prandio immensam pecuniæ summam insumsisse dici potuerint. Quorsum igitur hi luxuriosi sani sint & veluti rationis participes abeant? atq; quis dubitet, an cretâ hi sint notandi & laudandi tanquam sani, an vero carbone insigniendi tanquam mali furiosi, & dementes? Sed missis illis, quos luxuria de mentis ratione insanos deturbat, transeamus ad illos, qui amoribus effascinati non solum repuerascunt, sed planè furere & insanire incipiunt. Etenim si quem provectioris ætatis virum barbatum puerilia tractare, & ex parvulis lignis casas, aut domunculas ædificare, & parvo plostello mures tanquam jumenta, quæ currum trahant, adjungere, & nucibus, aciculis alijsq; vilibus rebus par & impar puerorum quadrimorum more ludere, aut in longa cannâ vel arundine tanquam caballo equitare juvet, & delectet: Jure merito dicendum esset, quod furor & amentia ipsum vexet, agitet, & verset: Quid si ipsa ratio convincat, his quæ dixi, puerilibus longè puerilius & ineptius esse meretricum amoribus detineri, & amare? Nec ad demonstrandam insaniam quidquam differre, & interesse, utrumne in pulvere senior existens tale opus ludas, quale lusisti prius cum puer trimus aut quadrimus esses, an verò insano meretricis amore correptus, exanimatus & sollicitus ante fores amicæ nocturno tempore plores. Quæro autem ex te an non idem facias, quod olim fecit Polemon Xenocratis discipulus mutatus, & ad virtutem emendatus: an non aliquando pœnitentia ductus ad mentem redeas? Quod si verum est, ut verum est, sequitur te aliquando de mente motum fuisse: An non morbi tui, insaniæq; tuæ, hoc est delitiarum & amoris insignia & indicia ut sunt amatorum varia ornamenta, fasciolas, quibus coronæ plicagantur, cubital, vel pulvinum, cui inter cœnandum innituntur, & focalia vel colli ornamenta, abjicias, & deponas, ut ille, de quo dixi, Polemo cum socijs suis potus in Scholam Xenocratis, ut illum irrideret, irruisset, & cum Philosophum nihil perturbatum de temperantiâ egregiè disserentem audivis-

divisset, ad saniorem mentem reductum esse, *& sibi ipsi* coronas, *& quæ dixi morbi insignia* urtim *præ pudore, ne quis intelligeret se olim luxuriosum fuisse* è collo carpsisse, *& projecisse* dicitur, postquam voce magistri *sui Xenocratis, sobrij, jejuni &* impransi, *atq; adeo hominis continentissimi* correptus *& objurgatus* est. *At videamus, quàm amatores illi nihil à pueris differant!* Cum irato puero poma porrigis, *eumq; placare hujusmodi munusculis studes; tunc ex puerili pervicaciâ accipere illa* recusat. *Quod si tunc simules te feli, aut catello colluseri forte præsenti illa velle objicere, & dicas heus* catelle sume *tu tibi illa, quæ petulans hic puer recusat: tunc* negat *se illud velle concedere.* Si *autem poma ipsi* non des, *aut etjam te daturum neges, tunc illa* optat, *cupit, & satis importunè efflagitat.* Tanta *enim vel in pueris est naturæ perversitas. Age autem dic mihi* amator *ille ut est in fabulis, Chærestratus apud Menandrum, aut Phædria apud Terentium potius*, quî *nam* distat *ab usq; adeo petulanti puero, ubi ab amicâ suâ altero intromisso foribus* exclusus *est*, cum secum agit *atq; deliberat, cum ab illâ rursus accersiretur* eat, *& repetat ipsam Thaida*, an *vero* non (Et quo *tamen sponte sua & ultro* rediturus erat *ut vel maximè* arcessitus non *fuisset*) & *in* foribus *meretricis hostilibus &* invitis, *à quibus paullo ante exclusus erat* hæret *& stat fixus*, nec *ab illis sejungi potest*, *& ita loquitur*: *An ne* nunc *quidem* accedam cum *sponte suâ &* ultro me *ad se* vocet, an *verò* potius mediter, *mecumq; deliberem quomodo ex his e meretricijs laqueis caput expedire &* dolores *ex amore provenientes* finire *possim.* *Siquidem illa paullo ante me* exclusit, *jam* revocat, redeamne *igitur.* Non *redeam si me* obsecret. Ecce *vero ibi* servus *Parmeno hero suo Phædriâ* non paullo, *sed immenso intervallo* sapientior, *ita dominum suum compellat, & tale ipsi consilium suppeditat*: O here *Phædria*, quæ res *in* se neque modum, neque consilium *ullũ* habet, *illa* ratione atque modo tractari non vult, *illam consilio deliberationeq; regere non potes.* *Sed jam amor hujusmodi res est, quippe ille amor adfectus est, inq;* amore *variorum adfectuum & perturbationum assiduus conflictus est: ut in quo omnia* hæc mala *insunt*, bellum, *continuæ iræ, rixæ. & simultates, injuriæ, suspiciones, inimicitiæ, &* rursus *induciæ, amoris redintegrationes, &* pax. Hæc *quæ dixi varia, &* mutabilia, *&* prope tempestatis ritu *modo læta, modo tristia. dubia & incerta*, & cæcâ sorte fluitantia, si quis *ratione* certa *& immutabilia* reddere

cupiat;

cupiat; ille sibi nihilo plus explicet, nihilóque magis proficiat, ac si certâ ratione, certoque modo insanire cupiat, & paret. Quid de vanis armantium opinionibus vel superstitionibus potius dicam? Quid enim insanius, aut magis ridiculum esse potest, quam cum ex Picentinis pomis grana vel semina excerpens, illaque primoribus dexteræ digitis compressis subhumida in altum ejacularis, summopere gaudes si grano cameram vel superius tectum in curvitatem formatum forte tetigisti, aut perculsisti. Imaginaris enim tibi, si hujusmodi cameram tangas, omnia in amore secunda & felicia tibi esse futura. Age anne tunc penes te es, & an non potius ratio exulet à te, & profligata sit? Quid? cum tu decrepitus senex existens more juvenum blandis verbis amicam juvenem compellas, & blandis atque balbis verbis annosum tuum & lividum palatum feris: quomodo tunc sanior es puero parvulo, ut antea dixi, qui è parvulis lignis casulas ædificat. Huic amatoriæ insaniæ etiam in senibus, & huic tantæ stultitiæ adde errorem & cædem. Quando non desunt, qui ex amoris impatientiâ insurgentes ad pugnam & cædem furiosè prosiliunt & alios atque seipsos sæpè è medio tollunt. Atque hoc quidem est quod in Pythagoræ Symbolo prohibetur, & proverbio dici consuevit Ignem gladio scrutari, & amoris æstum, cæde, & sanguine irritare, & ex amore stultitiam crudelitate & insanâ iracundiâ accumulare. Nuper, inquam, atque adeò modo, & paullo ante, cum Marius juvenis amicâ suâ Hellade, à quâ se sperni falsò arbitrabatur, percussâ & gladio interfectâ, postea ad mentem rediens, & pœnitentiâ ductus ex alto loco se deorsum præcipitat: annę tunc Cerritus & furiosus fuit? An verò illum sceleratum quidem fuisse judicabis, & tamen insanum negabis: illumque à crimine motæ mentis & furoris vel insaniæ vitio absolves, nec insanum fuisse concedes aliamque vim sceleris, aliam insaniæ esse dices, ex communi more & consuetudine vulgi ipsis rebus furori scilicet & sceleri cognata vocabula imponens, ut cum furor & scelus unum & idem sint, tamen inter illo putes distinguendum esse, quod quidem longè est absurdissimum. Quid de Superstitione dicam, deque illis, qui inani mortis metu anxij & sollicitti sunt. Erat Romæ libertinus quidam jam ætate grandior & senex qui siccus & jejunus singulis diebus mane mundis & lautis manibus & ad religionem comparatis circum compita ubi Laribus sacrificari solet, currebat, & unum quiddam magnum, & haud dubiè inter mortales maximum addens orabat: O Lares Dij domestici,

me unum

me unum & solum omnibus reliquis superstitem præstate, me unum morti surripite, *& immortalitate donate.* *Vobis* etenim Dijs *hoc ipsum* facile est, *qui potestis omnia.* *Et hic quidem, quem dixi, Libertinus* utrisque auribus & oculis, *& toto adeo corpore satis* sanus *erat: animo autem furiosus & insanus.* *Sanè si Libertinus hic venum expositus vendi deberet, & dominus, qui eum venderet ab emtore interrogaretur, ecquid etjam sanus esset;* Tum dominus *venditor* eum *toto quidem corpore sanum esse rectè pronunciaret! sed* mentem *tanquam furiosam & insanam* exciperet; nisi *venditor naturâ forte* litigiosus *esset, velletq; emtorem postea sibi litem movere, quod insanum servum pro sano ipsi* vendidisset. Hoc quoque vulgus, *& superstitiosum hominum genus* Chrysippus *Philosophus noster* in fæcundâ *& multiplici* gente Menenij *hominis stulti, & ad aliorum hominum furiosorum familiam* adponit, *& adnumerat.* *His omnibus adhuc insanior est matrum superstitio, quæ ex filiorùm nimio amore insaniunt.* *Ecce enim* mater pueri *cujusdam, qui* jam *per* quinque menses *febri quartanâ correptus* decumbit, *ad Iovem preces effundens pro filij salute tale votum facit, &* inquit: O Iupiter *optime & maxime*, qui das & adimis ingentes *morbos* & dolores, *potes enim omnia:* Si *hunc meum* puerum *divino tuo auxilio adjutum* quartana *febris, ex atrâ bile,* frigida *& diuturna* reliquerit: *tunc* illo die, quo tu *per sacerdotes tuos* jejunia *mandas &* indicis *tuo Iovis die celebranda, non jejunia solum religiosè præstabit, seq; vivo flumine abluet, ad sacra tua accessurus, tibiq; gratias pro sanitatis beneficio acturus:* *Sed insuper* nudus *totus* in Tiberi stabit, *& à me statuetur, idq; mane cum aqua est frigidissima.* *Hunc, quem dixi puerum,* ægrum *& quartanâ laborantem sive* casus, sive medicus ex præcipiti *morbo, & præmaturo atq; ancipiti corporis periculo* levaverit; mater delira *& insana superstitionis furore agitata illum puerum* in gelidâ ripâ *defluentis Tiberis* fixum *& statutum* necabit, & febrim *quartanam frigidissimis Tibridos aquis immerso* reducet: *dum filium suum Iovis beneficio servatum, seq; voti ream existimat.* Quonam *autem* malo *insaniæ furore* mentem perculsam *habens illud facit? Nempe* Deorum timore, *& vanâ superstitione.* Hæc *quondam, ô Horati,* Stertinius *vir sapientissimus, & merito suo Catonum tertius, aut* sapientum octavus *judicandus olim* mihi *disseruit, postquam me à morte retractum consolatus est, omnesq; alios homines juxta mecum insanire demon-*

 stravit:

stravit: Mihiq; hac sapientiæ præcepta hominum insaniam convincentia tanquam arma & defensionem, quibus me tueri queam dedit, ne posthac quisquam impune voce suâ me lacessat, neve inultus ab alijs injuriosè insanus dicerer, & compellarer, cum probè convitia illa in alios possim regerere, meq; ulcisci. Nam quicunq; me imposterum insanum dixerit, aut in me convitia congesserit, ille totidem vicissim à me audiet, tot in illum regeram: Et (quod Æsopum fabularum scriptorem dixisse perhibent unumquemq; nostrum duas manticas gerere, & quidem in posteriorem à tergo nostra, in priorem à pectore aliena vitia conijci, unde aliorum vitia nobis semper ob oculos versentur, cum nostra ignorentur) à me sua peccata quæ quis forte ignorat, cognoscet, & crimina sua in manticâ à tergo conjecta dependentia respicere discet & cognoscere, ne in alienis vitijs dignoscendis & castigandis nimis acutus sit, in proprijs omnino cæcutiat. H. Age jam dic mihi vehementer te obsecro, ô Damasippe Stoice, quoniam, ut ex te didici, unum stultitiæ genus non est, sed varia illa sunt & infinita, quânam stultitiâ putas me insanire? Quæso te, cum aliorum vitia tam accuratè pervideas, alijsq; demonstrare possis, illud mihi expone. Sic vicissim omnia ex animi sententia tibi eveniant, faxitq; Deus, ut post damnum, quod infelici mercaturâ perpessus es, imposterum omnia pluris vendas, tuumq; tibi damnum probè compensetur, & resarciatur. Ego Horatius enim, mihi probè sapere, & sanus esse videor. D. Quid? Hoccine mirum est, ô Horati, ut stulti sibi sapere videantur, & insani sibi sapientes. Etenim Agave Cadmi filia, Echionis conjux, dum Bacchi furore exagitata filium suum Penthea Bacchi sacra furiosè cõtemnentem cum reliquis Mænadibus pro vitulo discerpit, ipsumq; capite truncat, & infelicis sui gnati caput abscissum portat, ut est in Tragœdiâ, anne tunc videtur sibi furiosa? Minimè verò. Quin imo sibi tunc pulcrè sapere, & probè rationis compos videtur: Sic & tu, ô Horati, sanus tibi videris, cum furiosus, & insanus sis. H. Stultum me, ô Damasippe, equidem ingenuè fateor, atque etjam furiosum, ut dicis, & insanum. Quid ni enim illud fatear, quod verum est, & negari nequeat. Liceat enim veris concedere, & locum dare. Sed hoc tantum expone & edissere mihi, quo animi morbo aut vitio me putes ægrotare. D. Quando hoc tantopere scire desideras, Horati, hem accipe, dicam illud tibi. Primum insaniæ tuæ argumentum est, quod ædificas; hoc est, cum curtæ staturæ homo sis, & ab imo ad summum, à calce ad verti-

verticem homuncio moduli *vix* bipedalis, *aut duorum pedum*, longos *tamen & proceros* imitaris; *& cum paucarum opum, & tenuis curtæq; supellectilis sis, & obscuro loco natus, cum Mæcenate alijsq; ditißimis & nobilißimis ædificiorum magnificentiâ contendis.* Et *tu* idem *tamen Horatius adeo stultus & insanus es, ut quod in alijs tanquam stultum ludibrio habes, in teipso non animadvertas. Dum in ludis gladiatorijs* Turbonis *gladiatoris staturâ quidem brevis, sed animosi magnanimum* spiritum & *superbum* incessum corpore(*quo parvus admodū est*) majorem *cum* in armis *versatur, & pugnat,* derides: *Atqui quomodo tu* illo *ipso* minus ridiculus *es, vel cur te ipsum non eâdem operâ irrides, qui cum & ipse parvus sis, Turbonis tamen more, magnùm spiras.* An *verò* quodcunque C. *Cilnius* Mæcenas *ille equitum Romanorum nobilißimus & ditißimus* facit, *illud* te *Horatium* quoque *facere* verum *æquum & par* est, *& te qui tenuis fortunæ libertino patre natus es,* disimilem *&* minorem tanto *viro,* & tanto *tuo patrono ædificijs* certare *& contendere? Vt cum ille in Esquilijs egregios hortos, & amplißima ædificia construat, tu idem in villâ tuâ Sabinâ moliaris. Certè insanus, ille qui suo se modulo ac pede non metitur, imitaturq; illos, quibus longè inferior est. Cum* ranæ *cujusdam matris peregrè* absentis *(ut est in Apologo Æsopi)* pulli *à* vituli *cujusdam* pede *forte* presi *& contriti essent;* ibi *ubi* unus *pullus mortis periculum fortè* effugit. *ille* matri *domum revertenti omnem rem diligenter* denarrat, quomodo ingens *quædam & enormis* belua *(sic vitulum appellavit) sorores & fratres suos unà secum* natos, *pedibus supervenien*s elliserit, *& oppresserit. Ibi verò mater* illa *se spiritu inflans & distendens pullum suum* interrogare *cæpit,* quantanam *fuisset illa belua,* Num tandem sic magna (inflatam se *ostendens*) fuisset, *ut mater jam esset cum se spiritu implesset? Respondet pullus: Imo vero, ô mater, bellua illa vel* dimidio *adhuc* major *fuit, quam tu jam es. Respondet mater: Itane verò?* Num tanto *adhuc major me fuit?* Cùm *autem mater ulterius* magis atque magis *adhuc* se inflaret; *tandem* inquit *pullus: O mater, si* te *etjam inflando, ut video,*ruperis, *illi tamen beluæ* par *esse* non poteris. Hæc imago *vanitatis & insaniæ in ranâ,* non multum abludit *vel discrepat* à te, *ô Horati. Tu enim cum etjam parvus sis te inflas, & magnum Mæcenatem vis imitari. Huic in ædificando insaniæ* adde nunc *aliam illam Poëtarum insaniam, ipsa scilicet* Poemata: hoc est oleum camino adde, *ut in proverbio di-*

citur, & unum malum alio accumula & insaniæ per se satis magnæ materiam & pabulum, ut major evadat, præbe, ipsa scilicet Poëmata; quæ si quis unquam sanus fecit, aut ullus inventus est qui plenum carmen sine furoris instinctu scripserit, tunc tu etjam illa facis & scribis. Sed falsum illud, ergo & hoc. Non jam dico iracundiæ tuæ insaniam, quam horrendam rabiem meritò quis appellaverit. H. Iam desine tandem, Damasippe, tot vitia mea enumerare, vel potius tot convitia in me congerere. D. Non dico jam cultum & vestitum corporis adhibere opibus & censu tuo majorem. H. Quin tu, ô Damasippe, tuis vitijs te contineas; quæ satis multa domi habes, ne opus sit foris in aliena inquirere. D. Non dico jam mille puellarum, mille puerorum insanos amores & furores. H. O Damasippe, qui me major stultus & insanus es, qui me pejor & vitiosor es: Age jam tandem conviciorum finem pone, mihiq; minori stulto & insano, quàm tu es, maledicere parcas tandem, & desinas.

SATYRA IV.

HORATIVS, CATIVS.

VNde venit, & quonam tendit noster Catius? C. Non est mihi tempus jam, ô Horati tibi respondendi; quippe qui arduis jam negotijs occupatus avidè cupiam & desiderem novis quibusdam præceptis de arte culinariâ exprimendis & interpretandis certa signa & nomina apponere & accommodare. Et qualia præcepta aliorum Stoicorum, & Academicorum Sapientiam, atq; ipsum adeo Philosophum Pythagoram, & Socratem qui ab Anyto & Melito, tanquam impius & mortis reus accusatus est, ejusq; discipulum doctum illum Platonum magno intervallo vincunt. H. Equidem, Cati, grande me peccatum admisisse fateor, qui te tempore tam lævo sinistro, & importuno, idq; tam egregio negotio intentum interpellaverim. Sed tu, quæ tua est humanitas & benivolentia tanquam bonus placidus, propitius, & exorabilis, ut veniam mihi des, etjam atq; etjam oro. Quod si importunâ hâc meâ interpellatione tibi aliquid interciderit, aut è momoriâ effluxerit, illud paullo post repetes, & mox recordaberis. Cujuscunq; etjam materiæ opus illud sit quod tractas, sive naturæ est, èq;
causis

causis naturalibus dependens sive artis & industriæ humanæ inventum est. In utroque *artifex es planè* admirandus. C. Quin id *ipsum, ô Horati, meditabar, idq;* curæ *mihi* erat, quo*nam* pacto omnia *illa quæ paullo ante à præceptore meo audivi firmâ memoriâ* retinerem, *illaq; adeo quæ memoriâ difficulter tenentur*, utpote res *mirè* tenues *& subtiles, easq; non minus* tenui *& subtili* sermone *à præceptore meo* peractas, *& explicatas.* H. *Age, ô Cati, dic &* ede *mihi* nomen hominis *illius solertissimi præceptoris tui*, simulque *expone* sitne *ille* Romanus *natione*, an *vero* hospes *aliquis, & peregrinus*, *tam sapientissimus obsonatoriæ artis magister.* C. Ipsa præcepta *hujus artis satis fideliter* memorabo *&* canam *tibi*, auctor *autem præceptorum illorum ejusq; nomen à me non evulgandum* celabitur. *Initiò, ut à cœnæ principio exordiar, & ab ovis usq; ad mala omnia sigillatim exponam:* Quibuscunq; ovis *non rotunda sed* longa facies est, illa memento *in mensam tibi apponere, quippe quæ* & *sunt* melioris succi, & *interius* magis alba *& candida quam* rotunda; *Caussa autem est; Illa* namque *oblonga ova dura & fortia tanquam* callo obducta vitellum marem *in se continent &* cohibent, *unde pullus masculus nasceretur. Deinde braßica vel caulis* qui in siccis agris crescit dulcior *& melior est caulle, qui in horto* suburbano *humido nascitur. Quippe* horto *humido &* irriguo *qui proveniunt, illis* nihil elutius, *nihil insipidius, & magis fatui saporis* est. *Porro si amicus quidam* hospes vespertino tempore *inexpectatus adveniens ex improviso* te *parum instructum* subito oppresserit, *illiq; tamen lautitijs quibusdam velis gratificari: tum* ne gallina *ob carnis* duriciem *ingrata* palato *hospitis* malè responset, *& sapiat; tum* disces *illam gallinam* vivam *adhuc vino* Falerno *aquâ per*misto *immersare, & sic exstingere. Ita enim caro ejus* tenera reddetur. Fungis in pratis *provenientibus* optima natura est: alijs *autem fungis in alio loco natis* male creditur, *ut qui mortiferi integras sæpè familias exstinxerunt. Mora illis qui corporis valetudinem diutißimè retinere volent summopere commendo. Atq; adeo* ille *homo* salubres æstates perager, *& diu vivet & valebit*, qui nigris *& maturis* moris prandia finiet, & *cœnam claudet, & mora omnium ultimo loco degustabit, & illis quidem*, quæ *matutino tempore ex* arbore elegerit, antequam gravis solis *calor ingrueret. Insolata enim mora minus humectant, citiusq; in ventriculo computrescunt. Mulsum non forte*

 & vino

& vino exasperatum, sed lene adhibendum est: Aufidius quidam mella cum forti vino Falerno commiscebat; idq; faciebat mendosè, & imperitè admodum. Homo enim cum sitit, tum venis ejus vacuis nihil decet committere nisi lene, & moderatum. Leni enim mulso, ut dixi præcordia tua sitiens longè melius prolueris & irrigaveris. Quod si alvus tua dura non deponitur, & sedes non procedunt, venterq; tuus morabitur: tunc mytilus ex concharum genere pisciculus, aliæq; viles conchæ marinæ omnia obstantia in intestinis, quæ ventris meatus claudunt, removebunt, & propellent. Idem etjam brevis herba lapathi aut rumicis præstabit: Sed quæ herba tamen non adhibeatur sine Coo vino albo & candido. Ceterum lunæ nascentes & crescentes conchylia lubrica levia, atq; polita plena reddunt, & implent: Sed non in omnibus maris partibus conchylia inveniuntur. Quippe hujus generosæ testæ non omne mare fœcundum & fertile est: Neq; omnes conchæ generositate & præstantiâ sibi pares sunt. Concha enim illa, quæ Peloris dicitur, & Lucrino lacu capitur melior est, quàm concha illa, vel murex qui in Bajano amœnissimo maris sinu nascitur. Deinde ostrea Veneris illæ delitiæ proveniunt in mari Circæo ubi Circæum promontorium: Iuxta alterum illud promontorium, quod à Miseno Æneæ nauclero submerso nomen habet, oriuntur Echini pisces hirsuti, & aculeis armati, & suo merito in delitijs habiti: Contra Tarentum Apuliæ opidum molle & delicatum pectinibus conchis patulis & repandulis se jactat, deq; illis tanquam re insigni gloriatur. Est autem in hâc divinâ arte maximi momenti sapores ritè inter se dignoscere ac discernere. Neque enim quivis sibi eximiam hanc obsonandi & cænandi artem temerè arroget & usurpet, à quo non prius exacta, & certo cognita, & explorata sit tenuis illa ac subtilis saporum ratio. Neq; satis est aliquem magno precio nobilissima fercula coemere, aut è carâ mensâ pro rostris positâ, caro precio preciosos pisces emtos domum suam converrere & portare, qui ignarus sit, quibusnam piscibus jus magis conveniat & aptius sit, & quinam pisces in patinâ jure mersi apponi debeant; & contra quinam illi cibi sint, qui assi longè sint dulcissimi, & quibus assis appositis etjam conviva languidus & jam satur tanquam suavissimo condimento ad edendum rursus excitari possit, & cum ante saturatus capite in pulvinum reclinato dormierit, aut cessaverit, se in cubitum & illum corporis habitum,

quo

quo edere aut bibere soleat, rursus reponet. *Ad* carnem *ferinam quod spectat sciendum, quod* aper *in* Umbria *natus & captus*, & *ibidem ilignæ arboris* glande nutritus *est*, *optimus est*, *suoq; pondere* rotundas lances, *& grandes patinas* curvat, *& implet: illius viri dico lances, & patinas prudentis & solertis, qui non nisi egregiam carnem & inter alias aprum præclarum comesturus carnem vilem &* inertem vitat. Nam *aper in agro* Laurento *captus*, *inq; locis palustribus natus & enutritus* malus est, *utpote* pinguis *redditus non glande, ut Umber aper, sed* ulvis *herbis palustribus*, & arundine *ejusq; radicibus*. Vinea, *vel locus vitibus consitus* non semper suppeditat capreas edules, *& ad edendum aptas; nam quæcunq; pabuli gratia huc concedunt & capiuntur palato parum gratæ sunt. Quicunq; autem palato acuto &* sapiens *est*, *ille* armos *lumbosq;* leporis *crebro prægnantis &* fæcundi *tanquam singularis delitias* sectabitur. *Porro in hac arte obsonatoria plurima & salutaria inventa merito mihi arrogo.* *Nam* piscibus & avibus *quænam* patria, quæ natura, & *quæ deniq;* ætas foret, *illa* ante meum palatum *& accuratam inquisitionem, ut vel maximè* quæsita *sit*, *nō* patuit, *nec cognita unquam fuit.* Sunt *autem*, quorum ingenium, *studium & industria* nova crustula *& placentas, ex melle, farinâ, oleo, lacte, caseo, alijsq;* depromit, *& excogitat.* *Longè plura & meliora mea sunt inventa.* Non enim satis *est* *omnem* curam *& industriam* in unâ re *studiosè indagandâ* consumere. *Non secus* ut si quis *inveniatur qui* hoc tantum *sollicitè curet &* laboret ne vina, *quæ potat*, mala sint, securus *interea*, *& negligens* quali oleo pisces *suos condiat &* perfundat. *Ad vina porro Campana* Massica *quod spectet, illa clara reddes* si *illa nocte* sereno cœlo supponas: *tunc enim* si quid *in illis* crassi *& fœculenti reliquum* est *per* nocturnam auram attenuabitur, & *simul* odor, *qui* nervis inimicus *& ingratus est*, decedet *& exspirabit.* *Non desunt, qui lineo sacculo vel percolando idipsum tentent.* At *parum rectè.* *Vina enim sacco* lineo *contracto sapore* vitiata integrum *& naturalem* saporem *suum* deperdunt. Surrentina *autem vina* qui *à fœculentis materijs perpurgare volet, ille si tanquam solers &* vafer *illa cum* fœce vini Falerni *fortiori, ut bonum inde saporem contrahant* permiscet, limum *& omnes fœculentas materias* benè colliget, *vitello* ovis columbini *agitato, inq; vas conjecto. Tunc crassæ & fœculentæ partes unà fundum petunt, & subsidunt,* quatenus vitellus ima *dolij* petit

omnia

omnia crassa, & à naturâ vini aliena secum volvens. Multa etiam sunt, quæ potorem ebriosum nimio cibo & potu marcentem & defatigatum, omniaq; fastidientem reficere & ad edendum atq; bibendum denuo irritare possunt. Et commodissimé quidē talem quem dixi recreabis tostis squillis, & cochleâ in Africâ captâ & Romam advectâ.. Nam quod lactucâ idem quidam moliuntur, imperitè faciunt. Nam lactuca, præsertim si prandia aut cœnam finiat, stomachum acore sollicitat, & post vinum largius epotum acri stomacho innatat, & subsidere non vult, & ita concoctionem impedit. Quin imo ille qui cibo & potu languet, ille pernâ suillâ, & hillis tenuissimis intestinis minutim concisis, ad comedendum & mordendum refici & recreari vult, & postulat. Quin ille vilissimis rebus citius refici cupiet, & illa omnia malit, quæ antea maximopere fastidiebat, ut quæ ex immundis sæpe popinis cocta & allata adhuc fervent. Est autem operæ precium duplicis juris naturam exactè describere & pernoscere. Primum jusculum quod simplex est, constat ex oleo dulci, non graveolente aut corrupto. Quod si compositum velis conficere illud pingui & forti mero permiscere decebit, & muriâ, at non quâlibet, sed illâ, & non aliâ, quam quâ vasta aliqua balæna vel orca in mari prope Byzantium capta in liquamen vel garum putruit, & liquefacta est. Hoc quod dixi oleum, vinum, & garum ubi inter se permixtum, & confusum sectis oleribus herbis igni admotum bulliendo inferbuit, & croco optimo in Coryco Pamphiliæ opido nato aspersum aliquandiu stetit, insuper aliud adhuc oleum illi addetur, quod bacca olivæ Campanæ Venefranæ torculari pressa emisit, & profudit. Jam ad secundas mensas pervenio. Tiburtina poma quo ad succum Picētinis pomis cedunt. Nam & facie colore & pulcritudine hæc illis præstant. Vva porro Venucula ollis convenit, & si uvam passam velis præparare melius in illis conservatur. Contra Albanam uvam suspendens fumo rectius duraveris, & servabis. Et ne quis de meá industriâ & sollertiâ dubitet, ô Horati, ego primus inter omnes invenior, qui hanc uvam Campanam passam, cum mâlis, & fæcem liquaminis genus, & halec aliud liquaminis genus, & piper album, cum nigro & vulgari sale incretum & permixtum catillis puris in mensâ magnâ solertiâ circumposuerim. Porro, ut hoc quoq; admoneam, immane & non tolerandum vitium est quosdam nullis sumptibus parcere in preciosissimis piscibus coëmendis; interea in

supelle-

supellectile, patinis, lancibus, catinis, cambarisq, alijsq vilißimis rebus coëmendis nullam curam habere, nihil velle insumere. Quidnam enim est *intolerabilius & indignius aliquem* macello *ubi pisces emuntur quotidie* tria millia *numorum exhibere*, & *interea preciosos* pisces *in aquis* vagari solitos angusto catino, & *vase escario* urgere & coarctare? *Mundicies etjam sit in poculis & calicibus*. Magna *enim* fastidia, & *gravem nauseam* stomacho movent *sordes in poculis*, sive puer *aliquis nequam* dum frusta *carnium & piscium cum pingui jure suffuratur*, & *clanculum* ligurrit, calicem unctis manibus *attrectavit*; Sive *etjam cuidam situlæ vel* craterræ *vasi ad hauriendam aquam* veteri, & *cariosæ* limus adhæsit, *quem manibus tetigit, & exinde poculum immundis manibus commaculavit. Et hæc mundicies ubiq conservanda est, utiq cum facillime istud fieri poßit. Age enim* in vilibus scopis, *quibus pavimentum verritur*, in *vilibus* mappis, *quibus immunda vasa immundamq supellectilem tergemus*, in *vili deniq* scobe *vel serrarum rasurâ, qua res immundas tegimus* quantus, & *quam* exiguus sumptus est! *Et his tamen quantumvis vilißimis* neglectis ingens flagitium *admittitur. Etenim ô rem indignißimam!* Tene *pavimentum ædium tuarum vermiculatum &* lapides *in illo* varios *vilibus & obsoletis & lutulentis jam scopis ex* palmâ lutulentâ radere, *verrere & atterere! Tene circa* toralia *vel stragula quibus lectus discubitorius sternitur sordida*, illota, & *immunda* Tyrias vestes, *purpureas tapetes, & mappas* circumdare, & *tegere! Tene, inquam, qui* oblitus *sis, quod* quanto minorem sumtum hæc, *quæ dixi, vilia & exigua* desiderent, tanto *etjam rectius &* justius *te* reprehendi, *si hæc vilia (sine quibus tamen vita humana mundè & jucundè agi nequit) neglexeris, quam si reprehendaris ex illis neglectis*, quæ *cara & preciosa cum sunt* non possunt contingere nisi mensis divitibus. *Et quæ si negligeres excusari posses, cum ob inopiam forte illa comparare nequeas.*

H. O docte & *divine* Cati, rogo *te* per amicitiam *illam, quæ tanto jam tempore inter nos est*, & *per* Divos *immortales*, quocunque *tandem* pergas *hanc mihi operam des, ut* memineris me *eo* ducere, *ubi audiam illa præcepta*, quæ tu audivisti. Quamvis enim *satis* memori pectore omnia *illa* mihi referas, *quæ à præceptore tuo audivisti: tu* tamen, *dum renunciando & referendo, quem audivisti tan-*

 tum in-

tum intermedius interpres *es, non* tantundem *me adjuveris, mihiq; profueris, quantum principalis præceptor, & admirandus ille divinissimæ artis magister ipse loquens. Quin tu, ô* Cati, adde *mihi præceptorem ipsum, ut ejus divivissimum* vultum, & *sanctissimum* habitum, *ejus in docendo actum & motum, ejus pronunciationem & gestum viva voce docentis intuear, & audiam;* quem tu, *præceptorum, ô Cati, eo quod* videris beatus, *existens,* quando *ejus videndi copia tibi* contigit, non magni *forte* pendis, *& æstimas.* At *vero* mihi *Horatio ejus videndi & cognoscendi* non mediocris cura *& sollicitudo* inest: ut *non te tanquam rivulum solummodo, sed ipsos ultimos &* remotos fontes, *& capita scaturiginis omnium prima ipsum præceptorem* adire, *atq; audire,* atq; *ab ipso* vitæ beatæ præcepta *in vitâ humanâ longè saluberrima tanquam è perenni fonte* haurire possim.

SATYRA V.

VLYSSES. TIRESIAS.

PRæter *multa alia jam ante mihi à te* narrata *& exposita, divine vates* Tiresia hoc quoq; petenti *& avidè desideranti mihi* responde quibus modis & artibus *opes & res meas domi & foris tot calamitatibus* amissas queam reparare, *totq; rerum mearum damna, totq; jacturas possim resarcire.* Quid *autem* rides, *ô Tiresia? Hæccine quæ à te peto adeo ridicula tibi videntur?*

T. *Merito tuo istud facio, ô Vlysse & vereor, ne me ludificeris. Etenim* jamne *versuto callido, &* doloso *tibi* satis est, *navibus* Ithacam *& patriam tuam* reuehi, ibiq; patrios *Lares, & Deos* Penatos aspicere? *Quin insuper opes & divitias tecum velis advehere. Quippe cum olim illud quod inter mortales maximum ipsam immortalitatem repudiaveris, modo fumum de patrijs focis videre aliquando possis.*

V. O *Tiresia vates divinissime, qui nulli unquam* quidquam mentitus, *semper verax inventus es: Nimirum* vides *tu,* ut *omnibus rebus meis naufragio spoliatus, ex* tuo vaticinio, *dum in Siciliâ socij mei boves Solis lædunt, & naufragio pereunt,* nudus & inops domum redeam. Nec illic *in Ithacá domi meæ aliquid mihi restat. Quippe ubi ne* Apotheca *quidem ulla à* procis *conjugis meæ Penelopes* non tacta reliqua est, *nullus locus ubi vinum aut frumentum conditur non inanitus;*

nec

nec pecus *quidem ullum relictum est: nam oves pariter & boves consumti sunt.* Atqui *non te latet, quam misera & iniqua illorum sit conditio, qui opibus in vitâ mortalium destituuntur.* *Nam &* genus *meum, quod per patrem Laertem, avumq; Arcesium, à proavo meo Jove Deorũ maximo deduco,* & virtus *mea quâ varijs fortunæ cursibus exercitatus, ad humanam civilem societatem abundé instructus sum,* nisi cum re, *opibus, & pecuniâ conjuncta sit,* vilior est *quam* alga *herba, quam mare ejicit, res quævis vilißima.* T. Quando *te, ô Vlysse, seriò loqui animadverto, intelligoq; quod simplicibus verbis,* misśis *eloquentiæ, quâ es instructus,* ambagibus *& circuitionibus unam & solam* paupertatem horres *& reformidas:* Accipe *jam à me, & cognosce,* quâ ratione ditescere, *& amissas opes rursus* poſsis *acquirere.* *Divitibus, quos senes, & orbos animadvertis muneribus mißis palpare, & vel* turdus *avis illa nobilißima,* sive aliud *quiddam proprium peculiare &* privatum, *quod vulgo non reperitur* tibi dabitur, *illud tu ipse cave obsumas, sed* illuc devolet, *& celeriter mittatur,* ubi magna res nitet, *& immensæ divitiæ, maximiq; numorum acervi fulgent & resplendent;* domino *& possessore eorum* sene *existente, & liberis carente.* Quoscunq; *autem* primos fructus *&* honores, *& frugum primitias bene* cultus *& aratus* fundus tibi proferet, *& producet, illos non omnium primo Laribus Dijs domesticis offer, sed* ante Larem *de illis* gustet dives *senex orbus, qui omni* Lare *tibi* venerabilior *esse debet, & majori religione tibi colendus est: Vt à quo citius, quam à Laribus divtijs donaberis.* Qui *dives orbus senex* quamvis erit perjurus, *fraudulentus, sceleratus, quamvis* sine gente, *genere, & familia, obscuro loco natus; quamvis* cruentus *parricida sit, &* fraterno sanguine *manus suas commaculârit: Quamvis deniq; servus nequam &* fugitivus *fuerit:* Tamen *ille,* si *tecum* ire *& ambulare* postulet, *non* recuses illi comes exterior *à sinistrâ parte minus honorato loco ire, nec te pudeat ipsum à sinistro latere adsectari.* *V.* Itáne *verò jubes me,* ut spurco, *turpi, vili, & nequam servo* Damæ latus tegam *vel claudam, illiq; à sinistro latere inferiori loco incedam? Certè* haud ita *serviliter* Trojæ me gesśi, *longeq; aliam laudem decennali illo bello mihi peperi, quam ut vilem servum mihi præferri patiar.* *Nimirum ubi* semper *cum* melioribus *& fortioribus cum Ajace & alijs de armis Achillis, alijsq; honoribus* concertavi *& vici.* *Certè vilißimum nequam servum mihi præferri animo ferrem longè iniquißimo.* T. Ergo

 quia ho-

quia homines inescare, & vilioribus te adsentiri non potes, eris pauper *& nunquam rem facies.* V. Illud *vero* fortem *meum* animum, *qui jamdudum adversus hæc induruit,* jubebo tolerare, & *illo animo paupertatem tolerabo, quo olim* majora *& graviora* pertuli. *Quin* tu *o augur* Teiresia protinus dic *& expone mihi,* unde *magnas* divitias, & *ingentes* æris, *& numorum* acervos *mihi protinus* eruam, *celeriterq́ defodiam.* T. Equidem, *ô Vlysses* dixi *illud tibi,* & dico, *ut cum subdolus &* astutus *sis,* senum testamenta ubique captes. Neve si *fortè contingat, ut* unus & alter *ex orbis senibus* vafer *& circumspectus te bonis suis insidiari animadvertat; & tanquam piscis qui jam ante ab alijs inescatus, &* præroso hamo *elapsus est, de hamo alio gustare non vult,* te insidiatorem, *& captatorem hereditatis* fugerit; *non tu ob id statim deterrearis,* aut spem deponas, aut illusus *& frustratus* artem *captandi* omittas. *Si enim unâ non processit, aliâ viâ adgredere? Non enim muneribus solum hujusmodi orbi senes inescandi sunt; sed etjam omnis generis officijs & obsequijs. Quæcunq́ enim caussa in judicio agitabitur, &* sive magna sive minor res olim *in foro judiciali* certabitur, *& disceptabitur;* Tunc *tu,* uter *duorum illorum litigantium* locuples vivet *& senex, atq́* sine gnatis *erit,* qui *ipse* improbus *& malitiosus alium* meliorem *civem* in jus vocet, *idq́ sua sponte &* ultro, *non læsus aut ullâ injuriâ adfectus; Tu, inquam,* illius *viri patronus &* defensor esto: *Contra illum alterum* civem, *qui &* famâ *melior,* & caussâ *prior, & potior sit,* si *orbus non* sit, domiq; *ipsi vivat* filius, & conjux *satis* fecunda, *illum* sperne, *eiq́ adversare:* Priorem *autem illum virum malitiosum sed orbum & divitem tuo patrocinio capta, teq́ quanto potes orationis artificio in ejus familiaritatem insinua: Tali autem sermone illum tibi compellandum* puta. *Tite, Marce,* Publi, aut Quincte, (molles *enim delicatæ divitum* auriculæ *hujusmodi* prænomine *ingenuitatis aut libertatis atq́ etjam nobilitatis indice* gaudent *& delectantur)* Virtus *& prudentia* tua me tibi amicum fecit, *Et ita me Dij bene ament, ut omnia amica & fausta tibi cupiam.* *Ego Vlysses* jus anceps, *ambiguum & controversum* novi; Ego caussas *tanquam insignis advocatus & caussarum patronus* possum defendere. *Fidelis etjam & diligens sum, & nunquam caussâ in judicio cecidi. Adeoq́ ubi caussam tuam* in me *suscepero* quivis oculos *ambos* citius eripiet, quàm te *ab alijs* contemtum *& pro nihilo habitum vel* casšâ nuce, *& re quâvis levissimâ & vilissimâ*

lißimâ ademptâ spoliat, & pauperiorem reddat. Tu verò me patrono & defensore tuo longè eris tutißimus. Hæc *enim in judicio* mea cura *& sollicitudo* erit, ne tu quid *in judicio vel alibi* perdas, neve *alijs* jocus *& ludibrium* sis, *tanquam qui res suas nequeat defendere. Quin tu ô Vlysses, divitem illum* domum ire, *genio indulgere,* pelliculam curare, & *de nullâ re sollicitum esse* jube. *Tu autem, Vlysse, contra ejus caussæ* cognitor sis, *illamq; tuére fideliter ut tuam; idq; ut vel maximè cum multis molestijs conjunctum sit,* persta, obdura, *& persevera, & nunquam caussæ patrocinium desere,* sive *æstas sit calidißima, &* Canicula *cæleste sidus cum Sole conjunctum intenso suo calore mutas &* infantes statuas findet, *& torrebit:* Seu *contra hiems sit, & illud tempus, quod Furius Bibaculus Poëta crassus &* pingui omaso distentus *descripturus, inquiet:*

Iuppiter hibernas canâ nive conspuit Alpes.

Tanquam Jupiter Alpes altißimos montes hiberno tempore candidâ nive non aspergat, aut niveo velamine vestiat, sed tanquam sputo conspuat. Hoc ubi feceris, ô Vlyßes, non solum magna rerum tuarum emolumenta, apud orbum senem, verum laudem etjam apud omnes te audientes invenies. Nam aliquis *te tanto studio caussam amici perorantem audiens, vicinum suum* prope *sibi* adstantem cubito tangens inquiet: Nonne vides *quanto labore Vlysses ille caußam amici sustineat,* ut *laborum* patiens *sit,* ut amicis *suis, quorum caussas tam accurratè defendit* aptus *sit &* idoneus, ut *deniq; fortis,* acris *& diligens caussarum patronus. Nimirum sic* plures thunni *pisces advocatis donari soliti ad te* annabunt*; sic* cetaria & *vasa grandiora, quibus grandiores pisces sale conditi adservantur tibi* crescent. *Sic, inquam, plures orbi divites suas caussas tibi concredituri accedent, & emolumenta ex senibus orbis grandiora tibi conduplicabuntur. Præterea non orbos solum hujusmodi muneribus & obsequijs palpari debes, verum illis etjam qui liberos habent parum firmæ valetudinis, & non vitales ita tamen ut cautè & circumspectè illud facias.* Si cui enim *civi Romano* in re præclarâ, *& magnis divitijs* filius malè validus, *parumq; firmus* sublatus, *& educandus susceptus* alatur; *aggredere ipsum patrem, sed cautè, ut* dixi, *& prudenter, & non nimis, sed* leniter officiosus *existens sensim ac pedetentim* in spem *futuræ hereditatis paulatim* arrepe, ut *tu etjam cum illo filio primo herede* secundus heres *conscribaris: Vt nimirum* si quis casus *illum* puerum *è viventium numero per mortem* orco egerit *& è medio sustulerit, ut tunc mortuo filio herede*

primo in vacuum *locum* venias, *& in solidum & ex asse heres scribaris.* Hic, *quem dixi, eventus, &* hæc alea *ac fortunæ lusus* perrarò fallit, *& captatorem frustratur.* Quicunq; *autem divitum senum orborum* testamentum perlegendum tibi tradet, *ut cognoscas, utrum, & qua in parte heres conscriptus sis, tunc illas testamenti* tabulas abnuere, & à te memento removere, *tanquam id non animadvertas eo nomine fieri:* sic tamen *illas à te removeas*, ut *interea* limis *& obliquis oculis celeriter* rapias quidnam prima *in* secundo versu *sibi* velit *& contineat, anne* solus *heres inscriptus sis, anne vero* multis *alijs cohæres institutus. Fieri enim solet, ut non raro hujusmodi captatores decipiantur, & plerumq; homo callidus versutus & ingeniosus, animadvertens, se non verâ amicitiâ coli ab hujusmodi adulatoribus, sed tantum captari, (qualis fuit Coranus ille* scriba ex quinq; viro *varijs dolis* recoctus *& informatus) avidum & insatiabilem captatorem tanquam* corvum hiantem, *& aliorum hæreditates aperto ore captantem* eludit, *fallit, & frustratur, &* Nasica captator *deceptus & frustratus* Corano, *quem captat* risus *& jocos* dabit, *& ludibrio erit.* *V.* Num *tu* furis *& insanis, ô Tiresia,* an *vero* prudens *& sciens* me ludificas, *cum nescio* quæ obscura *de Nasica & Corano mihi* recitas? H. O Laertæ *fili Vlysse, non te ludo, neq; quidquam mentior.* Quicquid *enim aut* dicam, *& futurum pronunciem,* illud *certo erit & futurum est,* aut *quicquid dicam non fore, illud* non erit. Nam magnus *ille* Apollo dedit mihi *artem* divinandi, *cujus oracula tanquam ex sacro Tripode profecta longè sunt certissima.* Et tamen quidnam illa fabula *de Nasicâ & Corano* sibi velit, *illud* si *per Proserpinam mihi* licet, edam, *tibiq; aperiam. Illo* tempore quo juvenis *aliquis* Partis *Medis & Persis* horrendus *& formidabilis, (qui* genus ab alto *illo ac sublimi* Aeneâ *habebit)* terra & mari *& in toto adeo mundo* magnus *& fortis* erit, *divus inquam Augustus Imperator, tunc adulta quædam &* procera filia *alicujus* Nasicæ *fraudatoris & infìciatoris lenti, &* solidum *debitum* reddere nolentis, *semperq; occasionem quærentis partem aliquam de integro debito auferendi, quam non solvat,* Corano forti *ac diviti* nubet, *inq; uxorem dabitur.* Tum *Coranus* gener *Nasicæ* socero *suo,* hoc faciet: *testamenti* tabulas *ipsi* dabit atq; orabit ut perlegat, *videatq; quidnam sibi sperare debeat.* Ibi tunc Nasica *testamenti tabulas* multum *diuq;* negatas *& recusatas* tandem accipiet, & tacitus *apud se* leget & *demum ibi* sibi ac suis

nihil

nihil legatum *esse* præter *lugere &* plorare, *præter dolores & lacrimas* inveniet. Illud adhuc *etjam atq; etjam* jubebo *illum qui ad dominum viam adfectet, opus habere ipsos etjam domesticos & familiares studiosè captare. Vt* si forte dolosa *quædam, & versuta* mulier, vel *etjam* libertus *apud herum in magnâ gratiâ habitus* senem delirum *& ætate repuerascentem* temperet,*regat, ejusq; toti familiæ imperet:*Tum *in omnibus & singulis* illis socijs accedas *& adjungaris. Ipsam uxorem & libertum, & quidquid agant* lauda, ut *vicißim* absens *ab illis* laude-ris. Hoc quoq; *quod dixi in captandi arte multum* adjuvat: *illi n. te ulterius ipsi domino possunt commendare.* Sed hoc ipsum longè vincit *& superat ipsum* caput *familiæ, ipsumq; dominum* expugnare. *Quod commodißimè fiet omnia ipsi adsentando & indulgendo. Quod si dominus ille stultus &* vecors mala *forte* carmina *conscribet:* Tu *illa tanquam optima* laudato. *Si dominus tuus libidinosus* scortator *& adulter* erit: *tum tu ô Vlysses* cave *tamdiu expectes ut* te roget *ut tuæ uxoris concubitum ipsi indulgeas: Sed* Penelopen *tuam sponte tua &* ultro *promtus &* facilis *tanquam* potiori trade *& concede. V.* Putasne *tu ô Tiresia quod uxor mea Penelope ad tantum flagitium* produci *& propelli* poterit, *cum* tam frugi, *temperans*, & tam pudica *sit*. Et quam tot proci *tot annis à* recto cursu *& tramite castitatis transversam* depellere non potuerunt. T. *Longe alia res est, ô Vlysses. Aurum & munera omnia possunt expugnare, quo nomine à procis illis facilé tuta fuit. Illa* enim *procorum* juventus *ad* magnum *aliquid* donandum parca *& illiberalis fuit,* Nec tantum Veneris quantum culinæ studiosa, *potißimum propter prandia, cœnas, compotationes & epulas accesit. Nimirum* sic Penelope *tua* tibi frugi, *& pudica* est; *absq; quo esset, uxor tua sese omnibus prostituisset.* Quæ si semel *tandem aliquando* de uno sene gustaverit, *& experta fuerit quanta voluptas sit in quæstu & in molumento ex captatione, cum* lucrum tecum *communicavit, &* partita *est:* Velut canis ab uncto *& pingui* corio, *quo impensè delectatur, quodq; semel comedit*, nunquam absterrebitur: *Sic mulier etjam tua in illo captandi & indulgendi officio sibi jucundißimo semper perseverabit. Denuo illud repeto, & etjam atq; etjam admoneo singulari prudentiâ & cauto opus esse in hac arte.* Quod dicam factum est me sene *cum adhuc viverem.* Improba *quædam & astuta* anus *ubi mortua fuit,* ex testamento *à se paullo ante mortem condito à captatore hærede* ita *ad sepulturam* est

elata

elata, *ut* cadaver *mortuæ anus* largo oleo unctum *& delibutum* heres *captator* nudis humeris *ad sepulturam* tulerit. *Hac conditione, ut si excideret cadaver lubricum ipse heres hereditate etjam excideret.* Si scilicet mortua *forte* elabi posset, *quæ viva captatorem evitare non potuerit.* Credo *id eo factum esse, quod suis obsequijs* viventi *anui* nimium institerat, *nimisq; officiosè, & odiosè pæne & molestè se apud vivam anum insinuaverat.* Tu *verò ô Vlysses* cautus *prudens & circumspectus divites orbes* adgredere; *ita ut ubi officio tuo opus sit,* operæ, *quæ à te efflagitatur* ne desis: neve *etjam immodicis nimijsq; obsequijs* immoderatus abundes *& nimius sis,* Captator *nimis* garrulus *senem* difficilem & morosum *loquacitate suâ* offendet. *Interea tamen dedita opera &* ultro *de industriâ ultrà quam silendum est,* non sileas: *Sed sis* Davus *aliquis* Comicus *serviliter, & timidè cum hero tuo loquens:* atque stes capite obstipo *& inclinato animum tuum demittens, & ad palpandum componens,* metuenti multùm, *atq; adeo ferè semper* similis. *Adeoq; omnis generis officio &* obsequio *incede &* grassare. Si *forte* aura *ventusq; acrior vehementiorq;* increbruit, *tu senem* admone ut *valetudini suæ consulens* cautè, carum *suum* caput velet, *ne adverso vento ledatur. Vbi ambulans nimia hominum frequentia circumfusus incedere non potest, tu* humeros *tuos* turbæ *hominum* opponens, *tuoq; domino viam patefaciens, è media turba ipsum* extrahe, *& donec per transierit jube alios consistere. Quod si senex quem captas* loquax *sit,* aure *tuas tanquam attentas* substringe, *& subrige. Quod si nimis* importune laudari amet *tum vanum illum hominem tanquam* utrem tumidis sermonibus, *& ampullosis laudibus magis magisq; se efferentem* & crescentem *tam diu* inflando urge, donec *gestu lætantis Dijs gratias agat, &* manibus in cælum sublatis dixerit: O he jam *satis est. Tandem* cum *ille senex sua morte* te *à* longo servitio, cura & *molestia aliquando* levaverit, & *non somnians (id enim, quod maximopere desiderat aliquis, somniare solet) sed* certum vigilans *hæc verba à testatore* audieris: Vlysses quartæ partis *relictorum meorum bonorum* hæres esto: *Tum* subinde *plorabundus hæc verba* sparge, *& sic exclama: Eheu misero mihi!* Ergone vero Dama, *aut Syrus, aut Damasippus summus amicus &* sodalis *meus mortuus est, jamq; è vivis excedens* nusquam est: Vnde mihi tam fidelem, tam fortem *& potentem ami-*

tem amicum unquam comparavero, qualis ille fuit. Et si potes paullum etjam illacrumare, & vultum tuum gaudia ex verbis testamenti percepta prodentem fletu & lacrumis celato. Sepulcrum quod tuo arbitratu exstruendum permissum est illud sine ullis sordibus ita exstrue, ut tota vicinia funus ejus tanquam egregiè factum laudet & prædicet. Postremo ipsi etjam coheredes tui tibi captandi sunt. si quis enim coheredum tuorũ senior jam existens malè tussiet graviq; phthisi laboret, ut veri simile sit illum diu non posse vivere. Huic palpando dicas omnia te gratificari velle, & te gaudere paratumq; esse, vilissimo precio vel numo etjam ipsi addicere & sub specie imaginariæ emtionis ipsi velle donare ex tuâ parte relictæ hereditatis, cujuscunq; emtor esse cupiat, Sive fundi, sive domus emtor futurus sit. Sic enim eadem opera tuum etjam coheredem poteris captare. Plura volebam addere. Verum cum jam media noctis hora prætererit imperiosa illa Proserpina Plutonis conjux, vitæ mortisq; arbitra, me impedit, & prohibet, & ad destinatum apud inferos locum rursus trahit. Tu vero, ô Vlysses, horum quæ dixi memor esto, & longum mihi vive & Vale.

SATTRA. VI.

NEmpe hoc mihi in votis erat, & hoc quod jam consecutus sum in optatis habui, uti agri scilicet modus non ita magnus, sed modicus, & in proximo hortus mihi esset olera, & herbas faciles & parabiles cibos producens, & villæ domusq; meæ tecto vicinus fons aquæ jugis & perennis semperq; fluentis, & super his præterq; hæc parum silvæ ad amœnitatem & umbram æstatis tempore captandam, adforet. Hoc meum votum Dij benigni & faciles non solum mihi liberaliter perfecerunt, verum etjam insuper auctius illud & melius quàm optavi reddiderunt. Bene est, recteq; se habet; hisce Deorum muneribus adquiesco, & à te Majâ Atlantide nate Mercuri opum & lucri præses nihil amplius majusq; mihi dari peto, & oro, nisi ut hæc, quæ dedisti, facias mihi propria, firma & stabilia; ut dum vivo semper illa possideam, nec meum vitæ genus mutare cogar. Hoc solummodo ut eâdem clementiâ mihi indulgeas à te contendo, si modo misericordiâ & gratiâ tuâ dignus sum, & hactenus vitam integerrimè egi: si malis artibus divitias meas non accumulavi, neq; rem meam injuriâ alijs

illatâ, avaritiâ, aut aliâ quavis ratione majorem *non* feci, nec *prodigalitatis* vitio, aut *luxuriæ* culpâ *eandem* minorem *non* ſum factu-rus: Si *deniq; tanquam impudens &* ſtultus nihil horum *in votis habeo, nihilq; horum tanquam maximum bonum religiosè* veneror, *& vehementer colo mihiq; exopto, quæ vulgus in Beatitudine reputat, & hujuſmodi improbis precibus à Dijs exoptat, cum inquit:* O ſi angulus ille *agri vicini mei proximus*, qui *meum* agellum *admutilat*, denormat, *& inæqualem reddit, ad meum agrum quâcunq; ratione* accedat! O ſi fortuna *aliquâ ratione theſaurum humi defoſſum, aut* urnam *quampiam* argenti *plenam* mihi demonſtret, ut illi *ruſtico olim demonſtravit;* qui *cum* marcenarius *eſſet, & pro mercede alienum* agrum *coleret forte fortunâ aulam auro plenam inter arandum invenit, & pro hoc* theſauro invento illum ipſum *agrum in quo arans theſaurum invenerat*, mercatus *eſt, & poſtea tanquam proprium coluit &* aravit: Dives *profecto redditus* Hercule *theſaurorum præfecto* amico *propitio, & favente. Apageſis tales preces, quas imprecationes & exſecrationes veriùs dixerim. Si ego contra talia vota animo non concipio, ſi meis opibus contentus vivo, & ſi deniq;* quod *tuâ, ô Deus clementiâ, mihi* adeſt *mihi* gratum *& jucundum eſt, meq;* juvat *& delectat,* hac *ſolummodo* prece te oro, *ô Mercuri, ut hanc gratiam mihi præſtes, ut* domino *mihi Horatio in agro meo Sabino omne meum* pecus pingue *& fœcundum* facias, & *omnia cetera quæ mea ſunt,* præter ingenium *meum, quod acutum, tenue potius & ſubtile mihi conſerves;* & ut ſoles, *& hactenus feciſti* maximus cuſtos *tutor, & protector* mihi adſis. *Quia* ergo *voti mei Deorum immortalium clementiâ compos factus ſum in agro meo Sabino ex animi ſententiâ jucundiſſimè vivo.* Vbi *enim* ex urbe *Româ* me *in villam meam Sabinam* in montibus *tanquam* arcem *tutiſſimam poſitam velut in amœniſſimum receſſum recepi* & *ab urbanis curis & tædijs longè* removi: Quid *tum* prius, *quid potius carmine celebrare, & ſcribendo* illuſtrare debeam, *quàm Panas, Faunos,* Satyros, & Muſas pedeſtres *& agreſtes, quorum auxilio tutus & ſecurus vitam ruſticanam ago longè jucundiſſimam. Hic enim illis adfectibus & perturbationibus non percellor, quibus illi qui in urbe degunt: non honoris perverſum ſtudium,* aut mala ambitio me *inquietat, aut* perdit; non Auſter plumbeus *ille* & gravis *peſtilensq; ventus me inficit, qui in urbe homines, innumeros morti dat, nec deniq;* autumnus *varios morbos concitans* acerbus Libitinæ *& duriſſimæ mortis quæ-*

tis quæ-

tis quæstus *& emolumentum existens.* *Quantis ab ærumnis contra in urbe premor?* *Etenim te compello ô* Pater Matutine, sive Iane libentius audis *& appellaris,* à quo homines *matutino tempore* primos vitæ & operum *suorum* labores instituunt. (Sic *enim* Dijs placitum *est, ut tuo ductu & auspicio res & opera humana inchoentur)* Tu *cum operum omnium & laborum sis initium age* esto *etiam* principium *mei* carminis Romæ *cum sum ad tuum forum me perducis,* meq; *pro alijs fidejubere &* sponsorem *egere violenter* rapis, *& impellis: cum nimirum ille, pro quo spondere cogor, ita me compellat:* Eja *Horati* urge *& festina, daq; mihi hanc operam ut omnium primus spondeas,* ne *amicorum* quisquam *in hoc* officij *genere* prius *mihi gratificetur &* respondeat. *Ibi verò quæcunq; aëris sit constitutio, quodcunq; anni tempus* sive Aquilo *impetuoso suo flatu* terras radit *& perstringit,* sive bruma diem *frigidissimum &* nivalem *brevissimum habet, &* interiore gyro, *& breviore temporis ambitu & circulo* trahit. Postmodo *cum sponsionem facio & certis conceptis verbis* clare & certum *meam fidem pro alio interposui (ne forte postea aliquid inficiari passim) & illud adeo* locutus *sum,* quod *postmodo* mihi obsit, *& nocere possit, (cum spondenti plerumq; noxa præsto sit) redituro mihi* in turba *cũ magna copia hominum quotidie in via obstanti* lactandum *est, segnius incedentes impellendi & perrumpendi,* tardis *percutiendo* injuria facienda *est; quorum aliquis à properante me percussus & incandescens verbis contumeliosis,* iratis precibus, *& diris imprecationibus me* urget *& insectatur inquiens.* Quid *tibi* vis *homo* insane & *furiose,* quas res agis? *nonne tibi satis loci est, ubi ambules?* Tuq; *adeo ô Horati,* si ad Mæcenatem *tuum* memori mente *festines &* recurras *tuaq; jam negotia ita omnia expedire, & alia tædia effugere possis non immerito* omne *illud* quod obstat pulses *& è loco moveas, utiq; cum meritò festines ad virum illum optimum, apud quem* non mentior *libenter sum, & ad eum festinare,* hoc *verò me* juvat *& delectat, idq; eo magis impendio si ita omnibus alijs tædijs ac laboribus possem defungi.* At simul *ad* Esquilias *propter mortuorum funera & sepulcra olim* atras *& lugubres à me* ventum est, *ubi jam Mæcenas ædes & hortos suo habet; tunc* mille, *atq; adeo infinita* aliena *alia* negotia circum caput & latus *meum* saliunt, *& ab omni parte me adoriuntur: Ibi unus Roscij nomine sic me alloquitur.* Roscius *herus meus te, ô Horati,* orabat *ut* cras *mane ante horam* secundam sibi *in foro Romano* ad Puteal Li-

bonis in suâ caussâ advocatus officij gratia adesses. Alius nuncius à scribis missus, Scribæ, inquit, ô Quincte, orabant ut meminisses hodie ad se reverti de republica, & communi, atq; adeo de re magnâ & novâ tecum locuturi. Alius manu arreptâ, ô Horati, inquit, cura ut Mæcenas tuus, Cancellarius D. Augusti hisce tabellis meis signum suum inprimat, easq; insigni suo obsignet. Quod si tum dixeris, & responderis: Ego experiar, ecquid apud Mæcenatem hoc possim impetrare; non acquiescit, sed dicendo addit: Non opus est ut experiaris, ô Horati. Tantum enim gratia & auctoritate vales apud Mæcenatem, ut si modo velis facile potes: & apud me instat. Quid de invidia dicam, quam in hisce quamvis tot molestijs & tædijs effugere tamen non possum. Jamq; adeo septimus annus octavo propior, jamq; propemodum octavus annus factus, præterierit, & mox fugerit & abibit: ex quo tempore C. Cilnius Mæcenas me in numero amicorum suorum habere cæpit, idq; non eo nomine ut me ad arcana consilia tanquam consiliarium adhiberet, ut forte quispiam existimârit. Sed ad hoc duntaxat, quem iter aliquo faciens rhedâ tollere, & secum comitem itineris ducere, & qui cum de rebus leviculis familiariter in itinere colloqui, tædia itineris jocosis confabulationibus discutere, & non res serias, sed nugas tantum vellet concredere; quale est hoc nugarum genus, quod dicam, cum in itinere me interrogat de diei tempore. Quota est hora? Vel de ludis gladiatorijs: Ille Gallina gladiator ex Threcũ numero parmulam & ensem incurvum gestans, estne ille Syro alteri gladiatori viribus par? Vel de auræ qualitate: Hoc autumni initio, ô Horati, præsertim matutino tempore frigora illos qui incauti adversus hiemem parum sese munierunt, & æstivâ veste adhuc utuntur, satis acriter mordent & infestant: Hæc & consimilia alia vilia & nugacia, & quæ in aure meâ rimosâ, & dictorum nimis obliviosâ bene & sine periculo deponuntur, & quæ si è memoriâ elabantur, parum refert, inter me & Mæcenatem agantur; Tamen invidiæ morsus evitare non possum: Nam per totum hoc tempus in diem & horam semper magis & magis invidiæ subjectus & obnoxius fui. Talia enim quotidie inter invidos etiam familiares de me agitantur. Heus tu, vidistine? Noster Horatius una cum Mæcenate ludos gladiatorios spectaverat; una cum ipso in Amphitheatro, fuit, una cum ipso in campo Martio luserat. Certe Horatius ille propter tanti viri amicitiam est fortunæ filius, & longè omnium fortunatissimus. Omnes homines ita

de me

de me loquuntur. Non jam dicam quibus molestijs quotidie ab illis premar qui res novas è me sciscitantur. Si enim frigidus aliquis rumor, aut tristior nuncius de eruptione hostium in Imperium Romanum à rostris ortus per compita trivia, & quadrivia, & totam adeo urbem percrebrescit, & mânat; ibi continuo, quicunq; mihi obviam factus est, me consulit, & interrogat: O bone Horati. Nunquid tu aliquid audivisti de Dacis? Te enim, quia Mæcenatem, Agrippam, Augustum Cæsarem, & alios summos heroes & Divos propius contingis, iisq; familiariter uteris, hæc scire oportet & necesse est. Ibi si respondeam, ut res est: Nil equidem harum rerum scio aut inaudivi, ô amice: continuo ille ad me; Vt tu semper, ô Horati, amicorum tuorum derisor eris, qui simules te ignorare, quæ accuratè omnia pernosti! Et sic cogor sæpe mihi juramento fidem facere & dicere. At omnes Dij male me perdant, & exagitent, si quidquam harum rerum scio. Vix ab illo me expedij, cum continuo alius quispiam: Quid, inquit, Anne Augustus Cæsar prædia veteranis militibus promissa in Triquetrâ Siciliæ regione dedit, anne verò in Italiæ tellure daturus est. Quod si tum vel jurē me nihil illarum rerum scire, maximo opere me demirantur, tanquam unum mortalem qui egregij & maximè alti sit silentij, & taciturnitatis plus quam humanæ. Inter hæc tædia, inter hosce labores, hasce ærumnas, & labores lux mihi in urbe Roma perditur, totiq; dies absumuntur. Idq; non sine votis. Quando nimirum avidè ad rus meum anhelo, & talia vota, & optata animo meo concipio. O rus amœnissimum quando tandem aliquando ego te rursus àspiciam? Quando tandem mihi his urbanis curis & molestijs defuncto licebit ruri in tranquillo & securo otio nunc veterum Philosophorum libris legendis, nunc tranquillo & dulci somno & horis inertibus, & à negotijs urbanis solutis hujus sollicitæ urbanæ vitæ jucunda oblivia ducere, omniumq; molestiarum urbanarum oblivisci! O quando tandem aliquando facilis & parabilis cibus rusticus ut faba, à quâ Pythagoras tanquam consanguineâ & cognatâ abstinuit, & simul cum illâ olusculasatis pingui lardo inuncta mihi apponentur rursus! O nocturnæ cænæ placidæ tranquillæ & quietæ, & ob id merito Deûm cænæ appellandæ quibus ego ipse Horatius vescor, & una mecum domestici mei, idq; non ante Deos domesticos communes, & Romæ, sed ante Larē proprium, & vernas pueros ex ancillis meis natos, petulantes & procaces, reliquosq;

domesticos meos pasco dapibus *Dijs per pietatem* libatis. *Convivæ autem mei nullis bibendi legibus obstringuntur, & pro ut cuiq;* libitum est, inæquales calices *magnos aut parvos bibendo* exsiccat insanis *illis* legibus *quibus* convivæ *æquales calices ebibere coguntur liber & solutus*. Sive *enim* aliquis *tanquam strenuus &* fortis *potor* acria & *grandiora* pocula *exhaurire* cupit, sive modicis *tantum poculis* lætius uvescit, *aut libentius inebriatur, uniuscujusq; relinquitur arbitratui*. Ergo *dum ita tanquam sani & sobrij genio indulgemus inter nos convivas* oritur sermo *convivalis*, non de *utili turpi quæstu, de* villis, domibus, aut *divitijs* alienis *velut solent fæneratores urbani*: Nec *tractamus ludicra. & nugacia, verbi gratia*, anne Lepos *ille Pantomimus* malè *saltet, an vero non malè sed benè* saltet: Sed *illud amicè differendo inter nos* agitamus quod magis ad nos *homines non ad opes; & voluptatem natos, sed ad virtutem & honestatem* pertinet, & *quæ* nescire *homini ratione prædito turpe pariter, &* malum est, *Nimirum* Vtrumne hominis divitijs, an *verò* virtute beati sint. Quidnam *nos* ad amicitias *cum hominibus contrahendas* trahere *vel allicere debeat, anne* usus *emolumentum, lucrum vel utilitas*: anne *vero honestum, &* rectum. Quæ nam sit Boni natura, *quod semper possessorem suum meliorem reddit, &* Quidnam ejus, *quod dixi, boni ultimum* & summum *sit, ad quod homo in universâ vitâ actiones suas debeat dirigere*. Inter hæc *Axiomata Philosophica. & hasce egregias quæstiones* Cervius *in agro meo* vicinus *meus rusticus conviva meus vir sapiens* aniles fabellas *Aesopicas ridiculas quidem, sed* ex re, *& à propositis quæstionibus non alienas* garrit *& inserit*. Si quis enim *convivarum divitiarum naturæ* ignarus Arelli *divitis fæneratoris avari* opes *anxiè &* sollicitè *partas, & majori anxietate custoditas, tanquam parum prudens* laudet: *talem Apologum ex Aesopo recitat, &* sic incipit: Fertur olim mus *quidam* rusticus urbanum murem, *tanquam* vetus hospes veterem hospitem *in* paupere cavo, *tenuiq; foßâ subterraneâ hospitio & convivio* accepisse. *Qui mus rusticus* asper, *durus*, & *laboriosus quidem erat, non ut urbanus mollis & delicatus. & rebus opibusq; suis* acquisitis *satis quidem* attentus *& parcus*: *Ita* tamen ut animum *suum* arctum *parcum tenacem & attentum* hospitibus *advenientibus* solveret, *& solutiorem & liberaliorem redderet*. Quid multa? *Satis liberaliter murem urbanum hospitem suum tractavit*, neq; illi cicer *æstati*

tempo-

tempore à se collectum & sepositum, nec longam avenam invidit, *sed liberaliter indulsit. Quin etjam uvas collectas & reservatas* & aridum acinum, & semesa frusta lardi ore suo ferens *muri urbano comedenda* dedit *& apposuit.* *Nimirum* varijs cænæ *ferculis muris urbani nauseam &* fastidia vincere *emendare, & expugnare* cupiens, *qui lautioribus delitijs in urbe adsuetus* singula *quæcunq; à mure rustico adponebantur* superbo dente *contemtim, fastidiosè, &* malè attingebat. Cum *interea mus agrestis illius pauperis* domus *paterfamilias* in hujus anni paleâ *cum frumento confusâ stratus &* porrectus *recubans*, & dapis meliora, *epularumq;, ut dixi, delicatiora hospiti* relinquens, ipse ador lolium, *aliosq; cibos vilissimos comederet.* Tandem *postquam diu obticuit* dixit *mus* urbanus ad hunc *murem rusticum*: Quid *tandem* te juvat, ô amice, patientem, *ærumnis & laboribus vicinum quærere, & in* dorso *alicujus* nemoris *alti &* prærupti vivere? Visne *tuo* homines, & *lætissimam* urbem feris *hisce, & inamœnis* silvis præponere? *Adeone stolidus & insanus es? Quin tu mihi* comes *existeq;* viam *mecum* carpe, & mihi crede, *qui te ad insolitas delicias, & insperatam felicitatem brevi sum perducturus.* Quandoquidem *enim omnibus mortalibus moriendum* est, & *omnia* terrestria *animalia quæ* vivunt mortales animas *consecuta sunt, breviq; morientur;* neq; ulla mortis fuga parvo aut magno *animali concessa*: Quocirco *tu*, ô bone, dum *per vitam & ætatem* licet, in *voluptate &* jucundis rebus beatus vive: *Vive memor lethi*, vive memor quàm brevis ævi sis, *quamq; brevi tibi moriendum sit, & voluptatum delitias in tempore occupa.* Vbi hæc *muris urbani* dicta agrestem *murem simplicem* depulerunt, *ut vitæ genus & habitandi rationem mutaret*: è domo *è cavo antro* levis *cum mure urbano* exsilit, Deinde ambo *illi* propositum iter *urbem versus* peraguut, urbis mœnia *nocturno tempore subire rependo summo studio* aventes *& desiderantes.* Iamq; *adeo* nox *intempesta erat*, & medium cæli spacium obtinebat cum uterq; *mus urbem ingreditur, pedumq; suorum vestigia* in locuplete *quadam domo* ponit, *in quâ* rubra *quædam* vestis *purpurea* cocco *vel murice* tincta super lectos *discubitorios* eburnos canderet *& resplenderit*, & ubi de magna cænâ multa fercula superessent, quæ *ex* hesternâ *cænâ adhuc reliqua in* canistris procul *ordine* exstructis *& dispositis* inerant. Ergo ubi *mus hospitem suum* rusticum *in* purpureâ veste *stragulâ stratum &*

tum & porrectum collocavit, ipse tanquam hospes succinctus, & ad ministrandum expeditus cursitat & dapes uno perpetuo ordine continuat, & appcnit, nec non ipsis ministrandi officijs vernarum mere qui prægustare & lingurrire solent, defungitur, quod adfert prælambens. Ille vero rusticus in Tyrio ostro recubans, & insolitas lautitias comedens sorte & vitæ genere mutato in rebus adeo bonis & prosperis lætum convivam agebat, frontemq; exporrigebat: Cum subito ex improviso ingens valvarum strepitus exortus utrumq; murem metu exanimes è purpureis lectis excutit, & exturbat. Illi vero examines & pavidi per totum conclave currere; tum verò multo magis adhuc exanimes trepidare simul alta illa domus, postquam magnificè extructum conclave ingentibus canibus Molossis Epiroticis personuit. Tum verò rusticus postquam ad se redijt: Haud mihi, inquit, opus est hâc vita urbana tam pavida, & meticulosa. Ego vero vitam meam rusticam repetam. Interea tu, ô amice, valeas, & sollicitis illis delitijs perfruere. Me autem secura silva, & caverna mea, cavusq; quem inhabito, ab hujusmodi insidijs, à metu & perturbatione tutus tenui lolio, ervo, alijsq; vilibus leguminibus solabitur, esurientemq; sustentabit, & sublevabit.

SATYRA VII.

IAm dudum, ô here, te loquentem ausculto; cumq; pauca habeam, quæ tibi dicere cupiam servus cum sim metuo & reformido ne à te vapulem. H. Tune Davos servus hæc mihi cupis dicere? D. Ita est: ego Davus pauca tibi dicenda habeo, qui tibi amicum & benivolum sum mancipium, hoc est ut me censeas non mortuum & inutile domus tuæ membrum sed frugi & vitale. H. Age, ô Dave, quando jam sunt Saturnalia, quibus majores nostri licentiam dicendi, quidquid vellent concessam voluerunt, in Saturni honorem, qui aureo sæculo vixit, quo nulli servi fuerunt, tu quoq; hoc Decembri mense illâ libertate utere, & liberè narra quidquid voles. D. Vario, ô here, hominum sunt studia, varia vitia, Inter quos una hominum pars certis vitijs gaudet & delectatur, inq; illis constanter perseverant & vitium quod semel initio sibi propositum habet, illud studiosè urget & persequitur. Alia hominum pars veluti natator aliquis, qui in aqua

in insta-

in instabili, molliq; elemento natat, *sic incerta fluctuat modo virtutes* modo *vitia sequens, modo* recta *& cum virtute ac ratione conjuncta* capessens, interdum pravis *& vitijs* obnoxia. *Exemplo esse poterit* Priscus, *qui* sæpe notatus *est* cum tribus anellis *in digito incedere*, modò *verò sinistrâ læva manu nuda &* inani, *nulloq; anulo exornatâ*. *Certè qui adeò* inæqualis *sibiq; dissimilis & impar* vixit, ut *etjam* in *singulas* horas *latum* clavum *cum angusto, & angustum cum lato* mutâret, ut subito *& inconsiderat impetu* ex ædibus magnis *& splendidis* se *in vilem domunculam* conderet, ex quâ *etjam* libertinus *aliquanto* mundior *& honestior* honestè vix exire posset. *Vt deniq;* jam Romæ *alienas matronas sectari &* mæchus *esse*, modo Athenis *Sapientiæ & virtutis* doctor mâllet vivere. *Sane qui mobili usq; adeo, & mutabili ingenio fuit, ut* Vertumnis *omnibus* quotquot sunt, iniquis *& iratis* natus *esse merito videri potuerit. Contra alter quidam* Volanerius *ille* scurra *non adeo inconstans fuit in vitijs suis, sed aleæ usq; adeo deditus fuit*, ut *cum* justa *& nebuloni* illi *debita* chiragra articulos *digitorum ipsi* contudit, *& fregit, ut talos ipse amplius manu tractare non posset, alium quempiam* diurnâ mercede conductum *in domo sua* pavit *& aluit*, qui talos pro se tolleret,& in pyrgum *vel turriculam pro se* mitteret,*agitatosq; rursus super alveolum profunderet*. Hic quanto in vitijs *suis* constantior *fuit*, tanto levius *minusq;* miser & *malus* idem *fuit, quam* prior ille, *de quo dixi, Priscus*, qui laborat fune modo *nimis* contento, modo *nimis* laxo, *& interdum nimis parcâ interdum nimis laxâ largâq; vitæ conditione ægrotabat*. H. *Quorsum hæ verborum circuitiones, hi tanti verbórum ambitus?* nonne dices hodie furcifer quorsum tendant hæc *verba tua* tam putida *tam rancida, inepta, & odiosa?* D. *Quorsum tendant me interrogas, here?* ad te inquam *tendunt, Horatium herum meum*. H. *Ad mene tendunt?* Quonam *autem illud* pacto *servorum* pessime? D. *Dicam tibi illud, patienter tantum me audias. Etenim tu eadem levitate cum Prisco, de quo dixi, laboras, & quod gravius est, lingua tua cum animo non consentit, aliudq; sentis atq; dicis.* Laudas *etenim multiq; verbis passim prædicas mediocrem vitæ conditionem &* antiquæ *majorum nostrorum* plebis fortunam *in modicis & non nimijs divitijs*, & mores *eorundem, continentiam, temperantiam, parsimoniam, & frugalitatem*. Et *tu*, idem *tamen* si quis Deus *vel sine votis tuis* subito *& inexspectato, atq; ultro*

ad illa, quæ antea laudasti fortunam, & mores antiquorum te adigat, & perducat, ibi sat scio quod illa accipere nolis, & usq; recusaturus sis. Idq; eo fieri existimo, aut quia illud, quod rectius esse magnâ voce clamas & prædicas, animo tuo non sentis: vel quia id, quod rectum esse ante posuisti, non firmus & stabilis existens defendis, sed facile à rectè conceptâ opinione desciscis, & non secus ut ille, qui in alto profundo & tenaci cæno hærens nequidquam sese ex illo expedire, & plantam pedis evellere cupit, sic tu etjam ex vitioso habitu, quem assiduis actionibus pravis tibi contraxisti emergere, & ad bonam frugem redire frustra cupis. Homo enim vanus, levis, & ventosus es: qui cum Romæ in urbe vivis, tunc rus laudas, & habere exoptas; contra cum rusticus es, & ruri degis absentem urbem Romam summis laudibus ad cœlum & ultra usq; extollis. Si forte nusquam ab amico quopiam ad cœnam vocatus es, tum vitam privatam tanquam securam & tranquillam & olus cum pingui larido, aliosq; viles cibos laudas, ac veluti non libenter ad alios cœnatum eas, sed usq; eo quo vocâris vinctus, invitus, & coactus prodeas, ita si Dijs placet vehementer, tibi places, teq; felicem dicis, teq; amas, quod nusquam tibi ad amicos ad cœnam veniendum & potandum sit. At vero age jusserit Mæcenas tuus sero sub crepusculo vespertino sub prima lumina te convivam ad sese venire ad cœnam. Age quid tum facies? nimirum domi tuæ manebis & non ibis. Imo vero tu insanâ voce tanquam furiosus exclamas. Heus! Nemone famulorum oleum mihi ocyus adferet ut lavem & inungar apud Mæcenatem cœnaturus? Ecquis famulorum audit, quæ dicam. Hæc & consimilia magno tu clamore stolidè effundis, & blateras & quantum potest fugis & ad Mæcenatem properas. Interea Milvius & reliqui scurræ (quos tu versibus tuis tanquam cœnarum captatores passim insectaris ipse scurra & cœnarum captator,) qui apud Mæcenatem cœnaturi erant, ubi te advenire vident discedunt, te odio prosequentes, & illa tibi precati dira, & abominanda, quæ ego tibi non referam, irati quod propter te cœna suâ priventer. At dices, ô here, me servum esse levissimum, & vilissimum ventris mancipium. Ego verò ingenuè hæc fateor, qui servus sim. Etenim concedo, dixerit aliquis me tanquam levem & vilem, ut qui gulæ inserviam, & à ventre meo ducar, & propter grati & delicati obsonij nitorem nasum habeo sublatum & patulum & gratorum ferculorum odore corpore erigor, & supinor. Quin etjam imbecillis

sum &

ſum & ignavus, & toto corpore exceptâ mandibulâ iners, *quod ſi hæc quæ de me fateor nondum ſatis ſunt, tunc* ſi quid vis *ulterius* adde, *quod ſim* popino, *& popinas ferculorum gratiâ conſecter. At verò heus tu, quem & qualem te eſſe cenſes?* Tu *enim ô here* cum ſis quod ego *viliſſimum mancipium, & ſervus peſſimus,* & *me* forte nequior *adhuc, & pejor; Æquumne eſt ut,* velut *me* melior, ultro *me ſævidicis dicterijs* inſecteris *tuumq;* vitium, *tanquam nullum habeas* decoris verbis obvolvas *tegas, & abſcondas?* Quid *autem ſi vel* me *viliſſimo ſervo, qui* quinguentis drachmis *à te* emtus *ſum,* ſtultior *& vilior* deprehenderis? *Quid vultu tuo mihi interminaris quod liberè veritatem eloquar? Quin tu tuo iracundo* vultu me terrere aufer *atq; deſine, &* teneto manum *tuam ne me verberet,* & ſtomachum, *& iræ furorem, ne mihi iraſcaris tam diu,* donec *illa* edam, *tibiq; proferam* quæ Criſpini *Stoici viri ſapientiſſimi* janitor *olim* me docuit, *Nimirum qui ex collatione facta inter illos qui domini vocantur & ſervi mihi demonſtravit dominos nihilo meliores eſſe ipſis ſervis, quin etjam illis ſæpe longè priores.* Etenim *te dominum meum adulterum* aliena conjux, *me autem ſervum tuum* Davum *vilis quædam* meretricula accipit: *Age* uter noſtrum cruce dignius peccatum in ſe admittit? Me *ſervum* ubi naturalis acris *& vehemens libido ad Venerem* accendit, *noctis veſpertino tempore in cella meretricia* ſub clara lucerna *ardente* nuda *quædam meretrix abſolvit & demittit,* quæcunq; *etjam illa ſit, quæ* turgentis *& libidinis ſpiritu intenſæ* caudæ *ictus &* verbera excepit, aut *alio Veneris genere me tanquam* equum ſupinum *prona in me &* laſciva clunibus *ſuis* agitavit, *Illa, inquam me poſtea* dimittit, non tanquam *adulterum* famoſum, *qui in adulterio deprehenſus honeſtæ ſuæ famæ periculum fecerit,* neq; ſollicitum ne *forte* ditior *aliquis* aut formoſior *quiſpiam me (ut vos domini formidare soletis)* eodem mejat, *cumq; eadem rem habeat. Quâ de re profecto ſecurus ſum. At vero* tu *dominus* cum *ſub ſervi habitu ad aliorum conjuges penetras, cum equitis Romani* inſignibus, *& ornamentis, cum* equeſtri annulo, & *togâ liberorum* Romano habitu, *atq; veſtitu* projectis *& depoſitis ſervilem habitum veſtiumq; induis, &* ex judice *equite, & cive Romano honeſto* turpis *aliquis & vilis ſervus* Dama prodis, *cui in ſervili illo habitu liberum, ſi Dijs placet,* caput, *& oleo imbutum &* odoratum lacerna *vile ſervorum indumentum tegit, &* abſcondit: *Age, inquam, cum*

in servili hujusmodi vestitu adulteria tua dolosè perpetras: Nonne tunc illud es quod simulas? Nonne servus & mancipium es vilissimum, quem vestitu & habitu præ te fers? Quis autem de hoc dubitet? Etenim pavidus & metuens ab adultera in alterius cubiculum induceris, & totum tuum corpus, omnia tua ossa & membra trepidant metu atq; pavore, qui cum libidine, quam intendis pugnat & altercatur, suadetq; propter libidinem pericula adeunda non esse. Sane ubi pavor atq; metus, ibi omnis libertas exsulat. Porro quidnam refert vel ad servitutis nomen interest, virgis uti & flagellari, ut nos qui servi dicimur, & ferro secari & necari, ut vos domini in adulterio à maritis deprehensi? Eadem est utrobiq; servitus. quid autem discriminis est, sive tanquam servus nomine, vitam tuam venalem habeas, & venditus atq; auctoratus, & alterius potestati subjectus eas atq; incedas; An verò tanquam dominus ne in adulterio deprehendaris, in turpi & infami arcâ conclusus propter arcæ angustias caput & mentum tuum genibus tangas, in quam ancilla herilis peccati & adulterij dominæ suæ conscia, te propter arcæ angustias contractum & incurvatum, ne à marito supervenienti deprehendaris, demisit, & occultavit? Anne Lege Juliâ est marito matronæ peccantis, & in adulterio cum mœcho deprehensæ in ambos, in te scilicet, & adulteram conjugem justa potestas est, faciendi quidquid velit? Certè est, & quidem vel justior potestas in te corruptorem, vel adulterum. Quamvis enim ipsa etjam adultera magnum peccatum in se admittat: minor tamen ejus culpa, quam tua. Non enim habitu sese mutat, & vilis ancillæ vestitu custodes suos fallit, ut tu facis; nec loco sese mutat, neve in alterius domum ingreditur, ut adulteri faciunt, nec tuas adulteri partes suscipit, & supernè peccat; quippe cum illa te metuat, & formidet, tibiq; amanti fidem non habeat. Imò verò tu cum alterius conjugem sectaris sciens & prudens furcifer sub furcam ibis, consultò, deq; industriâ ignominiosam servitutem subibis, & marito, à quo deprehenderis domino tuo ex Zelotypia furenti atq; insano, omnem tuam rem, omnem tuam vitam, & deniq; famam tuam cum corpore tuo committes; ipsiq; tui tuorumq; omnium arbitrium relinques. Quid si forte, pænè deprehensus periculum illud evasisti; quid tum facies? Nimirum tum credo imposterum metues, & accepto damno & periculo doctus & cautior redditus serio atq; sedulo consimilia pericula cavebis? Imo vero, si insanam tuam perversitatem benè pernovi, omnem occasionem iterum

alterius

alterius conjugem accedendi quæres, quando iterum in adulterio deprehensus pœnæ metu paveas, & iterum perire inq; extrema corporis vitæ & famæ pericula pervenire possis. O te herum longe miserrimum, qui toties servus sis, toties alterius potestati te cogaris subjicere! Nempe quavis etiam bellua, quovis bruto stupidior. Quænam enim bellua adeo prava & vecors unquam fuit, ut catenis & laqueis quibus illaqueata se tandem expedijt ruptis, & fractis, ijsdem se postliminio reddat, & ad eadem pericula denuo revertatur? Verum ais mihi: Ego non sum mœchus, ego alterius conjuges nihil consector, nec verba tua in me competunt. Eodem hercule modo, ô here, ego poteram dicere, ego non sum fur, cum vasa aurea & argentea posita, alijs præsentibus tanquam sapiens prætereo, & furtivas meas manus pœnæ metu cohibeo. At vero nisi alij adessent, nisi pœnæ furibus constitutæ essent, quid facturus eram? Et tu si adulteris tanta pericula objecta non essent, quod adulterij genus non designares? Nimirum non amore virtutis, sed pœnæ formidine à peccatis arcemur. Tolle enim omnis pœnæ periculum: Ibi verò vaga natura libera jam & absoluta à pœnæ metu, & periculis tanquam funis remotis præceps ad quodvis facinus audendum prosiliet. Tune mihi dominus esse censendus esses, & non potius conservus, qui tot & tantis imperijs rerum & hominum minor & subjectus es, & quem virga prætoris, quæ vindicta dicitur, & quâ nos servi percussi à prætore manu mitti solemus, vel ter & quater imposita à miserâ formidine pœnæ adulrij nunquam privat & liberat? His supra à me dictis adde insuper, quod æquale sit superioribus, & non levius, quàm illa, valeat; Nam quocunq; tandem nomine ille, appelletur, qui servo alicui paret, & servus sub alio servo ordinario constitutus est: Sive ille vicarius dicatur servi ordinarij, ut vester dominorum nostrorũ, si Dijs placet, mos & consuetudo ait, sive est conservus: Age quidnam tibi domino meo Horatio sum ego Davus servus? Anne conservus tuus sum, an vicarius, an verò utrumq;? Quidquid sit, uterq; servi sumus; & non minus tu, atq; ego. Nempe tu qui mihi imperas, meusq; dominus appellaris, tanquam miser servus alijs inservis, atq; ut turbo vel trochus mobile illud lignum non suo motu, sed alienis nervis & externo flagello in gyrum agitur, & rotatur; ita tu quoq; tuo ductu non moveris aut duceris, sed tuorum adfectuum sævissimorum dominorum arbitrio. At dices mihi: Quisnam ergo liber est, si ego servus sum, certè qui libertino patre sum progenitus?

Dicam tibi nimirum vir sapiens, qui sibimet ipsi non aliis imperiosus est; qui nulla re humana perturbatur, adeoq; quem nihil in vitâ mortalium, neq; paupertas, neq; mors, neq; carcer & vincula terrent & perturbant, qui cupidinibus & pravis suis adfectibus fortiter resistere, & responsare, omnesq; divitias & honores excelso animo possit contemnere. qui tanquam globus aliquis absolute rotundus, & exactè tornatus in seipso per omnia similis & æqualis, & quantus quantus est totus teres perfectus, politus, & æqualis est, & ut maxime super axe suo moveatur & volvatur eodem tamen modo semper sese habet: Sic etjam vir fortis nullis fortunæ incursionibus quidquam concutiatur, aut perturbetur, ne, quemadmodum in globo exacto, per externam superficiem lævem, & politum nihil morari, & circumvolutionem impedire potest: Sic etjam illum nihil externi in honestis actionibus inhibere, aut impedire possit: & in quem fortuna manca fracta & debilis ruat & impetum faciat, nihilq; omnino possit: Age potesne ex his, quæ commemoravi, aliquid noscere, quod tuum sit, quod tibi proprium sit, & non potius alienum? Quid autem tu possis mancipiorum vilissimum? cui ob libidinem turpis meretrix imperat? Nempe mulier pro concubitu quinq; talenta à te poscit, mulier pro libitu suo vexat te & exagitat. Mulier te foribus repulsum & ædibus ejectum gelidâ aquâ contumeliosissimè perfundit. O serve vilissime, eripe tandem eripe ex hoc turpissimo mulieris jugo collum & caput tuum, teq; in libertatem vindica: & age dic & vere de te pronuncia: Ego sum liber, liber inquam, ego sum, sed illud non potes. Nam Cupiditas & libido, dominus non lenis, sed violens, imperiosus sævus, & immitis mentem tuam urget & impellit, tibiq; lasso & defatigato, & properare quo ille imperat nolenti acres stimulos, acria calcaria subjicit, & negantem aut recusantem versat, & violenter cogit. Vel cum tu, ô insane serve, picturarum nimio studio insanis & tabulâ aliquâ à Pausia insigni pictore picta præ admiratione torpes, & obstupescis: Age quomodo tunc minus peccas, atque ego pecco, cum in vili pictura Fulvi, Rutubæ, aut Placidejani insignium gladiatorũ prælia rubrica vel carbone tam eleganter depicta, velut si viri illi revera inter se pugnent, seq; invicem feriant, & arma moventes adversarij ictum vitent & declinent, poplite aliquamdiu contento, & cessante intueor, & demiror? Nempe tum Davus servus nequam & cessator est in expediendis heri sui negotijs; At tu ipse contra

contra ex tabularum contemplatione subtilis atq; callidus veterum *picturarum* judex audis *&* *diceris.* *Quid? Quo jure illud mihi probro ducitur, quod tibi laudi?* *Nimirum* ego *servus* si *placenta aut* libo *calido* *&* fumante *adhuc* ducor *&* *delector* *Nihili* *&* *nequam homo sum. at* tibi *contra, si Dijs placet,* virtus *tua*, animusq; *tuus frugi* *&* temperans cœnis *lautis, &* opimis responsat *&* *resistit, & paucis tantum delectatur.* Cur *autem* ventris *mei* obsequium mihi perniciosius *est, quàm tibi hero meo?* *Ego* enim *propterea* tergo plector. *At qui* quomodo tu impunitior *es, vel minus puniris quã ego,* cum *delicata* illa *omnis generis* absonia captas *&* *appetis,* quæ parvo *precio* sumi non possunt? Nempe *delicatæ hujusmodi* epulæ sine fine, *atq; modo* petitæ *cum propter variam copiam in ventriculo non concoquuntur* inamarescunt, *hinc cruditate laborans ventriculus suo munere non perfungitur, unde cum* corpus *non alitur* pedes illusi, & *imbecillitate impeditis corpus* vitiosum, *& crapulâ atq; cruditate laborans* recusat ferre. *Et sic vos quoq; intemperantiæ vestræ probè pœnas datis.* *Quid? age dic mihi*, an puer hic *adeo graviter* peccat, qui strigilem furto *in balneo ablatam pro* uva permutat; *Ille vero dominus scilicet, gulæ* parens, *& servus,* qui *integras domos integra* prædia vendit, *&* gulæ *consecrat* servile nihil gerit, *& committit?* Adde quod *tu* idem *à mala conscientia scelerum in insaniam ageris, & per unam* horam apud te esse, *tuaq;* ocia *in re seria & honesta* rectè ponere non potes, & *tanquam servus* fugitivus & erroneus te ipsum *tuosq; pravos affectus sævissimos dominos fugis &* evitas, *interea malæ conscientiæ* curam *& sollicitudinem* jam vino, jam somno fallere *& à te abigere* cupiens. *Sed* frustra; *illa* enim *cura & sollicitudo malæ conscientiæ hominem malitiosum, tanquam* atra, *& ingrata* comes *à tergo semper* premit, & fugacem sequitur, *& assequitur.* H. Vnde mihi lapidem, *quo tam nequissimum servum pertutiam?* D. Quorsum *tibi lapide* opus est, *mi here?* H. Vnde *mihi arcum &* sagittas *sumam, quibus te perditum nebulonem transfigam?* D. *Hic* homo *herus meus* aut *verè* insanit; aut *suo more* versus facit, *quos ut nunquam quicquam sanus facit, ita nec ille facit.* H. Nisi te ocius hinc *è conspectu meo* rapis *& subducis in Sabinum meũ ergastulum continuo te ad operas rusticas vinctum dabo; quò cum jam ante octo tui similes nequam servos miserim, tu* nona

opera

opera, nonusq; servus operarius in ergastulo in agro meo Sabino, *ad reliquos octo accedes, & adjungeris.*

SATYRA VLTIMA.

HORATIVS FVNDANIVS.

AGE *dic mihi, Marce Fundani*, ut juvit, *quomodo delectavit te* cœna *illa* Nasidieni *hominis lauti divitis &* beati? nam *cum heri te* mihi convivam *domi tuæ* inquirerem, *te ad cœnam vocatum* dictus es *mihi à domesticis tuis*, illic *apud Nasidienum*, *indè à meridie* de medio die potare. F. *Sic me juvit & delectavit illa cœna, ô Horati*, ut in *tota mea* vita melius mihi nunquam fuerit, *nec à quoquam mortalium jucundius acceptus sim.* H. *Age igitur, ô Marce Fundani*, si grave *& molestum tibi* non est; da *& enarra mihi, quodnam omnium primum ferculum fuerit, quænam* prima esca *fuerit, quæ* ventrem iratum *& latrantem, quæ stomachum famelicum esurientem & moræ impatientem primo omnium* placârit *& mitigarit.* F. In primis *ferculis, ô Horati*, fuit aper *quidam* in Lucania *captus, idq;* quemadmodum *Nasidienus, convivij rex vel* cœnæ pater *nobis cœnantibus ajebat*, leni *vento* Austro captus, *unde caro ejus reddita sit tenerior.* Circum *ipsum aprum, pro condimento posita erant* acria rapula, lactucæ, radices, *raphani, & consimilia alia*, qualia *languentem*, lassum stomachum pervellunt, *languentem & nausiantem ventriculum lacessunt, provocent, & appetitum irritant.* Addita *etjam erant alia, ut agreste apium*, cicer, *liquamen*, halec, & fæcula *ex vino* Coo, *& alia condimenti loco addita.* His *primo ferculo cum suis condimentis* sublatis, *ubi puer quispiam*, alte cinctus *& ad ministrandum expeditus*, mensam prætiosam, *ex acere arbore factam* gausape *vel stramento* purpureo, *decorè* petersit, & *postquam* alter *quispiam puer fragmenta ciborum, &* quodcunq; *præterea* inutile *in mensâ* jaceret, *quod* sublegi solet, quodq; cœnantes *fastidio aliquo aut nausea concitata* possit offendere: *Ibi vero Nasidieni puer* Hydaspes *dictus* fuscus *& formosus* Cæcuba *Capana* vina ferens, *lente & pedetentim* procedit, *non secus ac* Attica virgo, cum sacris Cereris, *quæ in sportula in capite gestat caute incedit, ne, quod pessimi ominis loco habetur, cadat: alter puerorum*

Nasidie-

Nasidieni Alcon dictus *adfert* Chiūm *vinum fictitium* maris expers, *nec mari Romam advectum, sed in Italia natum.* Hic *vero* herus *noster convivij Nasidienus: ô* Mæcenas *inquit sive* Albanum sive Falernum *vinum* te potius delectat, *quam quod* appositum *est*, *expone tantum quoniam* utrumq; habemus. H. O miseras divitias, *quæ homines vanos & jactantes reddat, divitias suas ostentantes, sed non statim promtè apponentes.* Sed *missis his ô* Fundani, *illud tantum* nosse laboro *& desidero*, quibus *convivis* una *tecum* cænantibus *adeo* pulchrè *& jucundè fuerit*, F. Ego *Fundanius* in summo *lecto primus eram* & prope me *discumbebat* Viscus *Poëta* ex Thurio *Calabriæ opido oriundus*, & infra *illum Viscum*, si *recte* memini, Varius *ille amicus tuus Epicus doctissimus.* In *imò lecto discumbebat Nasidienus*, *&* Vibidius, cum Servilio Balathrone, quos *à Nasidieno non vocatos*, Mæcenas umbras *secum* adduxerat. *In medio lecto tanquam honoratiore medio loco discumbebat Mæcenas*, super ipsum *Mæcenatem* erat Nomentanus, infra *ipsum collocatus erat* Portius, *qui in hoc erat* ridiculus, *quod* totas placentas *unico haustu* simul absorbere, *devorare*, *& deglutire posset.* Porro Nomentanus ad hoc *munus aut officium à Nasidieno vocatus erat*, ut si quid forte *lautioris obsonij* lateret, *& à convivis non observaretur*, *illud* digito indice demonstraret, *& tanquam exactissimus obsoniorum censor alijs commendaret.* Nam cetera *convivarum* turba, nos inquam *Ego Fundanius*, *Mæcenas*, *& reliqui & hujusmodi delitiarum rudes*, cænamus aves, *comedimus* conchylia, pisces, *& reliqua quæ opposita erant, quæ in se* longé *alium*, longè dissimilem succum *& saporem*, *quam vulgo cognitus*, *& usitatus est continebant*, *&* celabant. Vt vel continuo *tunc* patuit, *& compertum mihi est*, cum *rex convivij Nasidienus*, ilia passeris, & *intestina* rhombi *piscium*, non *unquam antea à me* gustata mihi porrexerit, *& comedenda apposuerit.* Post hæc *Nasidienus res egregias* me docuit, *nimirum*, melimela *illa suavissima mâla cydonia* rubere, *magisq; rubicunda esse*, *si* dilecta *sint* luna *adhuc* minore *existente & crescente.* Quid *autem* hoc intersit *vel referat*, *quantumq; discriminis sit inter mâla crescente lunâ & lunâ auctâ dilectâ inter mala rubentia*, *& pallentia* ab ipso *Nasidieno longè rectius &* melius disces. Tum *verò* Vibidius *vanitate & subtilitate hospitis Nasidieni offensus vicino suo* Balathroni *dixit:* Nisi nos *strenuè potamus*, *ita* bibimus *ut cum conviva-*

 toris dam-

teris damno *conjunctum sit*, inulti moriemur, *& hasce convivatoris subtilitates, qui nos verborum subtilitatibus pascere velle videtur, vindicare non poterimus.* Et *continuò* majores calices, *ut egregius bibant*, poscunt. *Ibi verò* tum *cum strenuus perpotare incipiunt* pallor *& timor avari Nasidieni* faciem vertere *& mutare incipiebat*, *qui* nihil sic mutuebat *fore*, ut *largiter convivæ biberent*, *utpote cum Vibidius, Balathro, Nomentanus*, *& plæriq; alij* acres *strenuiq;* potores *essent. Formidabat autem*, vel quod *hujusmodi scurræ ebrij* liberius maledicunt, *ne forte & sic suam avaritiam & sordes taxarent*, vel quod fervida *atq; fortia* vina *etjam* subtile palatum exsurdant, *& stupidum reddunt*, *Ita ut omnia vina adposita*, *quantumvis optima reprehenderent.* Vibidius *autem* & Balathro *strenuè potare incipiunt*, *& tota* vinaria *vascula, & lagenas per pueros allatas* Alliphanis *poculis majoribus exhauriendis evacuant &* invertunt, *ita ut os inversum terram tangeret, interea reliquis* omnibus *in* imis *lectis decumbentibus, strenuè illorum duorum exemplum* sequentibus, *qui & ipsi strenuè potabant. Porro* convivæ lecti *& honoratiores, in medio aut summo lecto decumbentes, modestè biberunt*, *&* lagenis nihil nocuerunt. Interea muræna *procera* in patina porrecta *& exposita, inter* squillas *pisces, in jure natantes per ministrum* affertur. Sub hoc *cum missus hic adferretur*, herus *convivij dominus*, hæc inquit *muræna* gravida capta est, *cujus* caro post partum deterior futura *erat.* His *autem piscibus jus additum* est mistum *cum* oleo, quod prima cella, *& prima olearum pressura* Venafri *in opido Samnij, unde optimum oleum provenit,* expressit, *mistum etjam cum* garo *aut liquamine* de succis *scombri* Iberi piscis, *& vetusto* quinquenni vino, verum *Italico &* citra mare nato, *non aliunde navibus advecto. Tale enim Italicum vinum juri adhibendum est* dum coquitur. *Verum cum jus jam* coctum *est*, *vinum* Chium *cum illo miscendum est*, *quod quidem* adeo *illi* convenit ut non ullum aliud *vinum* magis *illi conveniat*, *quam* hoc. *Mistum deniq; erat cum* albo pipere & aceto, quod *ex vino Lesbio corruptum factum est*, *& natum est ex* uva Methymnæa, vitio *corruptionis in acetum degenerante. Et hoc quidem jus longè optimum est, cui* ego *Nasidienus omnium* primus, erucas virides, *& helenium vel* amaras inulas, *aliasq; herbas* incoquere *docui &* monstravi. Curtillus *autem insuper illi* echinos *marinos pisces integros &* illutos *non maceratos*, *utpote*

pote quod melius & sapidius est, quam illa muria, quam orca Bizantia aut marina testa ad nos remittit, addidit. Interea dum Nasidienus ita ex rebus vilissimis sibi laudem aucupatur, & vanitates suas non sine convivarum tædio attollit, aulæa in cameris triclinij supra mensam suspensa, ligamentis fractis graves ruinas in patinam fecere, & magno impetu in mensam procubuere, tantum atri pulveris secum trahentia, quantum impetuosus ille ventus Aquilo in Campaniæ agris vix excitat. Et nos quidem convivæ, majus periculum veriti, initio timebamus, ne totum conclave procumberet. Postquam vero nihil pericli esse sensimus erigimur, & meliori animo esse incipimus. Hic vero Nasidienus ille rursus mæstus & turbatus capite deposito, flere incepit, non aliter ac si immaturus illi filius obijsset. Adeoq; quis flendi finis fuisset? Certè flere non desijsset, nisi Nasidienus tanquam vir sapiens, alloquio suo Nasidienum suum amicum verbis sequentibus tolleret, & consolando atq; adulando verbis sequentibus sublevaret? Eheu fortuna, quisnam Deus inter nos est crudelior quam tu, qui quidem Nasidienum tanto damno immerito affeceris, quam invida tu es, & ut semper gaudes rebus humanis illudere & insultare! Varius autem cum hæc audiret præ vanitate utriusq; mappa risum compescere vix poterat. Balathro autem ille & scurra omnia naso suspendens & vafrè irridens: hæc, ajebat, vivendi, & vitæ humanæ condicio est, ô Nasidiene, ut prosperis adversa non desint: eoq; nomine, tuo labori & industriæ in parandis obsonijs par fama & gloria nunquam respondebit, ut quã fortunæ iniquitate nunquam consequéris. Aequumne enim est te meo nomine sollicitudine districtum angi torqueri & cruciari, ut ego lautè apud te accipiar, ne panis adustus sit, ne male conditum jus nobis apponatur, ut omnes pueri rectè præcincti, compti & ornati nobis administrent? Adde præterea ut modo experti sumus hos casus, si aulæa ruant, teq; tantum virum perturbent, si minister quispiam rudis & ineptus tanquam agaso asinorum custos pede prolapsus patinam aliquam frangat, & alia rerum tuarum damna immeritò experiaris. Sed velut ducis vel imperatoris animus in rebus secundis obscurus est, in adversis autem elucet, ita etiam convivatoris prudentiam declarat adversus aliquis casus, ejusq; ingenium res adversæ solent nudare, res secundæ celare & abscondere. Certè tu in hoc infortunio perferendo te satis fortem exhibuisti. Ad hæc Nasidienus Balathroni respon-

dens ait: Dij tibi, ô Servili, omnia illa commoda dent, quæcunq; tu preceris, ita vir bonus es, & conviva comis facetus & urbanus. Cum autem hæc dixisset soleas quibus in triclinio utimur, poscit, & convivium reparaturus surgit, tum vero cum ille abijsset in unoquoq; lecto videres susurros, secreta aure divisos, dum terni in singulis lectis non communiter sed separatim consusurrant, quærentes quidnam sibi velit surgens, & ridentes. H. Certe adeo jucundi ludi acti inter vos fuerunt, ut nullos alios ludos in theatro mallem spectasse, quam illos. Sed age redde mihi & refer, ô Fundani, quæ deinceps riseris. F. Nimirum illud deinceps risi, dum Vibidius de pueris administrantibus quærit, num cum aulæis etjam lagena fracta sit, quod poscenti sibi pocula non dentur, dumq; à convivis ridetur, propter Balathronē res fingentem & simulantem, & Nasidieni sordes mire attollentem, ut res quantivis precij. Quod profecto Balathro admodum festive faciebat, eventu satis secundo. Demum Nasidienus redit frontis jam mutatæ, jamq; lætior, utpote singulari obsoniorum artificio fortunæ iniquitatem aulæorum casus emendaturus. Deinde secuti sunt Nasidienum ipsi pueri, qui magna lance Mazonomo, in qua fercula delicatissima gruis membra, male assata, bene combusta & discerpta, cui multum salis aspersum & far additum erat, ferentes, & jecur albi cujusdam anseris, qui lautior censetur pinguibus ficis saginatum auctum & pastum, cum reliquis anseris extis & intestinis, & avulsos leporum armos, à reliquo corpore separatos ut quod multo lautius & suavius est, quam si quis illos una cum lumbis comedat. Postea etjam merulas nobis apponi vidimus, non assas sed adusto pectore, & silvestres palumbos, quibus clunes ademti erant. Certe res suaves & lautitias non contemnendas, si convivij dominus Nasidienus earum rerum causas non narraret, suaq; garrulitate nauseam nobis concitaret, & ferculorū naturas prolixè nobis exposuisset. Certè quem Nasidienum nos convivæ ejus garrulitatem ulti, surgentes & abeuntes, sic fugimus, ut cibos ejus fastidiremus, & cum nos odiosâ suâ verbositate vexaret, nihil omnino gustaremus, veluti si cibis Canidia venefica pessima & atris Africanis serpentibus pejor, venenato suo spiritu, illis afflâsset, illosq; cibos venenatos & mortiferos reddidisset.

FINIS LIBRI SECVNDI SATYRARVM.

HORATIVS

E. LVBINI


calibrite
colorchecker CLASSIC
mm